G.143. D. 24.

169 d 48

DE

HISTORIA MEDICAMENTORUM.

Digitized by Google

C. PRUYS VAN DER HOEVEN,

DE

HISTORIA MEDICAMENTORUM,

LIBER UNUS,

IN USUM JUVENTUTIS ACADEMICAE.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS,
Academiae Typographos.

1847.

Medicina Temporis filia.

De JO. ANDR. MURRAY,

PRINCIPE PHARMACOLOGIAE HISTORICAE AUCTORE.

Apparatus medicaminum a Jo. Andr. Murray *editus, cujus primum volumen prodiit Gottingae anno 1776, inter eos libros recenseri meretur, qui quam tractant scientiam, instaurarunt. De aliis libri dotibus disserere nec hujus loci est, neque instituti nostri: eam vero laudare ac praedicare lubet, qua novissimis quoque de sylva medica scriptis antecellit: industriam nimirum singularem in testimoniis historicis colligendis dijudicandisque positam. Intelligens enim auctor, historiam esse pharmacologiae practicae fontem, medicorum de virtutibus medicaminum observationes*

diligenter cum retulit, tum ponderavit. Qua in re quid quantumque praestiterit, ipsa libri perutilis lectio peritum quemque docebit. Viri eruditi sententia in praefatione his verbis proponitur: antistare omnibus reliquis investigandi vires medicaminum modis experientiam, in ipso corpore humano susceptam. Nec leve negotium esse, ast accuratam supponere cognitionem morbi ejusque graduum et omnium eorum, quae ejus cursum dirigere, vel mutare possunt: aegri naturae, idiosyncrasiae, complicationis morbi et epidemicae constitutionis, aëris climatisque rationis, anni temporis, sexus, aetatis caet. Scitam quoque desiderari applicationem medicamenti, quoad dosin, miscelam, corporis praeviam praeparationem, diaetam. Ad haec requiri observandi donum singulare et cultum insuper judicium, ut ex phaenomenis ad caussas, ex cognitis ad ignota et abdita possit concludi: easque dotes eo minus abesse posse in novis tentandis, ignotis rimandis, dubiis confirmandis. Neque unius hominis vitam ad haec

sufficere, sed aliorum conamina in nostros usus vertenda esse, gratoque animo excipiendum, quicquid veri vel evicti praeteritae aetatis vel coaetaneae vitae sollertia de medicaminum efficacitate, post multos errores iterataque studia, nobis revelavit. Eum in finem fontes adeundos esse, eos potissimum, quorum veritas fida casuum narratione et simplicitate methodi enituit. Subjiciendam denique omnium momentorum, quae ad curationem spectant, commemorationem.

Habetis adumbratam ab ipso auctore eam, quam cogitabat ipse, pharmacologiae historicae speciem. Hanc quatenus perfecerit, nullus probe sciet, nisi qui, qualis ante eum fuerit hujus disciplinae medicae conditio, rite cognoverit. Nam quo minus perfecta, etiam hac nostrâ aetate, dici ea disciplina possit, vetant quamplurima illius desiderata locaque obscura, aut vixdum hactenus inchoata. Nec vereor dicere, nullum in hunc usque diem exstare medicamentum, cujus historiam teneamus perfectam omnibusque numeris absolutam:

plurimorum vero cognitionem historicam, sive empiricam omni modo claudicare.

Perspicitis si vera dixerim, quam longe absimus ab ea, quam optamus, materieï medicae scientia. Quocirca medicos practicos hortamur, ne illam deserant medicamina explorandi viam, quam omnium optime indicavit eruditissimus Apparatus Medicaminum auctor: nec credant, scientiam hanc empiricam vel unius hominis esse, vel nostrae tantum aetatis; verum sic statuant, ipsam omnis esse traditionis omnium aetatum omniumque populorum summam.

Scribebam Lugd. Bat. postridie Calend. Octobr. a. 1846.

INDEX CAPITUM.

De Jo. Andr. Murray, principe pharmacologiae historicae auctore. . . . . Pag. V.
Index Capitum. . . . . » IX.
Prooemium. . . . . » 1.
De disciplina universe. . . . . » 5.
Emollientia, demulcentia. Althaea officinalis. . . . . » —
Radix saleb. . . . . » 7.
Gummi tragacantha. . . . . » 9.
» arabicum. . . . . » 10.
Semen cydoniorum. . . . . » 11.
Amylacea, saccharina. . . . . » —
Manna. . . . . » 13.
Rad. liquiritiae . . . . . » 17.
Oleosa, pinguia. . . . . » 19.
Emulsiones, albuminosa. . . . . » 20.
Gelatinosa. . . . . » 21.
De emollientibus et demulcentibus. . . » 22.
Amara. Lichen islandicus. . . . . » 24.
Gentiana. . . . . » 28.

Quassia amara. . . . . Pag. 31.
Rad. columbo. . . . . » 32.
Centaurium minus. . . . . » 33.
Carduus benedictus. . . . . » 34.
Taraxacum. . . . . » 36.
Marrubium. . . . . » 39.
De amaris et amaricantibus universe. . . . » 40.
Adstringentia. . . . . » 45.
Hedera terrestris . . . . . » —
Quercus robur. . . . . » 46.
Cortex ulmi campestris. . . . . » —
Salix. . . . . » 47.
Catechu. . . . . » 48.
Cortex peruvianus . . . . . » 49.
Folia uvae ursi. . . . . » 53.
De remediis adstringentibus universe. . . » —
Acria. Senega. . . . . » 57.
Arnica montana. . . . . » 58.
Emetica et cathartica. Ipecacuanha. . . . » 60.
Rheum. . . . . » 64.
Aloë. . . . . » 70.
Senna. . . . . » 73.
Jalappa. . . . . » 75.
Colocynthis. . . . . » 77.
Gummi gutta. . . . . » 79.
Scammonium. . . . . » 80.
Helleborus. . . . . » 81.
Oleum crotonis tiglii. . . . . » —
Diuretica. Scilla maritima. . . . . » 82.
Colchicum autumnale. . . . . » 87.

Ballota lanata. . . . . Pag. 89.
Cantharides. . . . . » ——
De remediis acribus universe. . . . . » 90.
Narcotica. Laurocerasus. . . . . » 93.
Hyoscyamus niger. . . . . » 98.
Belladonna. . . . . » 103.
Stramonium . . . . . » 109.
Lactuca sativa et lactuca virosa. . . . . » 111.
Opium. . . . . » 112.
Crocus. . . . . » 125.
Nuces vomicae. . . . . » 129.
Digitalis purpurea. . . . . » 135.
Aconitum napellus. . . . . » 140.
Cicuta. — Conium maculatum. . . . . » 143.
Pulsatilla nigricans. . . . . » 153.
Nicotiana. . . . . » 154.
Rhododendron chrysanthum. . . . . » 156.
Rhus toxicodendron. . . . . » 157.
Stipites solani dulcamarae. . . . . » ——
De narcoticis universe. . . . . » 161.
Resinosa. Resinosa pura. Pix. . . . . » 168.
Gummi-resinae. Gummi ammoniacum. . . » 169.
Gummi galbanum. . . . . » 173.
» asae foetidae. . . . . » 174.
» myrrha. . . . . » 179.
Terebinthina. Oleum terebinthinae. . . . » 184.
Balsamum copaïvae. . . . . » 189.
» peruvianum. . . . . » 191.
Benzoë. . . . . » 193.
Succinum. . . . . » 195.

Juniperus communis. . . . . Pag. 196.
De medicamentis resinosis, balsamicis universe. . . . . » 198.
Oleoso-aetherea. Nervina volatilia. . . . » 201.
Valeriana. . . . . » ——
Artemisia vulgaris. . . . . » 206.
Angelica. . . . . » 208.
Rad. serpentariae virginianae. . . . . » ——
Mentha crispa et piperita. . . . . » 211.
Flores chamomillae vulgaris et romanae. . » 214.
Sambucus. . . . . » 217.
Cinnamomum. . . . . » 219.
Cubeba. . . . . » 221.
Tanacetum. . . . . » 222.
Santonicum. . . . . » 223.
Filix mas. . . . . » 224.
Sabina (*). . . . . » 226.
Sassafras. . . . . » 228.
Guajacum. . . . . » 229.
Mezereum. . . . . » 232.
Citrus aurantium. . . . . » 233.
Rad. calami aromatici. . . . . » 234.

(*) Sabina, mezereum, sarsaparilla, saponaria, chelidonium, armoracia, cochlearia, calendula, jacea ab aliis, et recte quidem, ad aeria revocantur neque stricto sensu hujus loci sunt, verum aliorsum pertinent. Guajacum ad resinosa refero: tanacetum, santonicum ad amara aromatica. Nec facile tamen ita collocaveris pharmaca, ut omnibus et singulis satisfacias classificationis systematicae legibus.

Cascarilla. . . . . Pag. 236.
Rad. helenii officinalis . . . . . » 238.
Phellandrium aquaticum. . . . . » 239.
Sarsaparilla. . . . . » 240.
Saponaria. . . . . » 241.
Chelidonium majus. . . . . » ——
Rad. raphani rusticani (armoraciae). . . . » 242.
Herba cochleariae. . . . . » ——
» et flores calendulae officinalis. . . . » ——
» jaceae. . . . . » ——
Rad. pimpinellae albae. . . . . » 243.
» zingiberis. . . . . » ——
Vinum. Aetheres . . . . . » ——
Empyreumata. . . . . » 244.
Moschus. . . . . » 245.
Castoreum. . . . . » 248.
Ammonium. . . . . » 251.
Camphora. . . . . » 254.
Phosphorus. . . . . » 259.
De remediis nervinis universe. . . . . » 260.
Medicamenta e regno minerali. Sulphur. . » 270.
Carbo vegetabilis, animalis, mineralis. . . » 275.
Alcalia fixa. . . . . » 276.
Borax. . . . . » 278.
Sapo. . . . . » 279.
Terrea. Calx. . . . . » 281.
Creta. . . . . » 284.
Magnesia. . . . . » 285.
Alumen. . . . . » 286.
Acida. . . . . » 287.

Acidum sulphuricum. . . . . Pag. 287.
» nitricum. . . . . » 292.
» muriaticum. . . . . » 297.
» phosphoricum. . . . . » 99.
» carbonicum. . . . . » 301.
» citricum. . . . . » 302.
» tartaricum. . . . . » 303.
Tamarindus. . . . . » 304.
Salia. . . . . «
Sulphas potassae. . . . . » 306.
» sodae. Sal mirabilis Glauberi. . . » 308.
» magnesiae. . . . . » 311.
Nitras potassae. . . . . » 312.
Sales haloïdei. Sal culinare, murias sodae. . » 316.
Murias ammoniae. . . . . » 318.
» barytae. . . . . » 319.
Chlorureta. . . . . » 320.
Salia phosphatica. . . . . » 321.
Acetates. Acetas potassae, terra foliata tartari. » ——
Acetas ammoniae liquidus, spiritus Mindereri. » 323.
Citrates. . . . . » 324.
Tartrates. . . . . » 325.
De remediis alcalinis, terreis, acidis et salinis. » 327.
Metalla. Aurum. . . . . » 333.
Argentum. . . . . » 334.
Cuprum. . . . . » 335.
Zincum. . . . . » 337.
Bismuthum. . . . . » 340.
Plumbum. . . . . » 341.
Ferrum. . . . . » 343.

Antimonium. Kermes minerale. . . . . Pag. 350.
Sulphur auratum antimonii. . . . . » 351.
Tartarus emeticus. . . . . » 353.
Mercurius. . . . . » 356.
» sublimatus corrosivus. . . . . » 360.
Arsenicum. . . . . » 362.
Jodium. . . . . » 363.
De remediis componendis. . . . . » 368.
De remediorum demulcentium cum aliis compositione. . . . . » ——
De amarorum et amaricantium connubiis. . » 373.
Adstringentium remediorum cum aliis connubia. » 379.
De remediorum acrium cum aliis compositione. » 384.
De narcoticorum cum aliis remediis compositione. » 390.
Resinosa remedia cum aliis componenda. . . » 396.
Nervina cum aliis componenda. . . . . » 398.
De remediis e sulphure cum aliis componendis. » 401.
De terrestrium et alcalinorum compositionibus. » ——
De acidis cum aliis componendis. . . . » 402.
De salibus cum aliis componendis. . . . . » ——
De metallorum cum aliis compositionibus. . » 404.
De materia medica veterum. . . . . » 406.
» » » Indorum. . . . . » 409.
De thermis et fontibus medicatis. . . . . » 415.
De methodo interpretandi pharmacologiam. . » 419.
De interpretatione pharmacodynamica. . . » 432.
De pharmacologia historica et critica. . . . » 439.
De pharmacologia experimentali. . . . . » 443.
De classificatione medicamentorum. . . . » 447.

Adnotationes historicae et criticae circa usum remediorum nervinorum. . . . . Pag. 453.
De historia formularum medicinalium et methodi eas concinnandi. . . . . » 459.
Exempla aliquot formularum simplicium. . . . » 470.
» » » compositarum. . » 481.
Censurae formularum compositarum. . . . » 485.
Epilogus. . . . . » 488.
Index auctorum. . . . . » 491.
Addenda et corrigenda. . . . . » 498.

PROOEMIUM.

Ex quo tempore VERULAMIUS ille, foedere inter orbem antiquum et novum rupto, auctor exstitit belli inter litterarum historiaeque et scientiarum naturalium cultores, duae fuerunt medicorum dissentientium familiae, altera veterum et litterarum studio inprimis addicta, altera scientiarum naturalium caussae favens. Illi in observatione et veteris custodia doctrinae: hi in experimentis et novarum medicinarum inventione spem rerum suarum posuerunt, et quemadmodum in rebus politicis alii monarchiam praeponunt, democratiam alii: priores legitimistas, posteriores liberales vocant: sic in scientia hâc nostrâ utrique tamquam hostes atque inimici, minus pro veritate, quam pro victoriâ pugnant. Ego, qui nec veteres contemno, nec recentiores, medicinam cupio et cum litteris et cum scientiis conjunctam et ab hac demum conjunctione futurum ipsius incrementum exspecto. Quod quidem sic quamoptime fieri posse confido,

si traditionem omnis aevi, duce historia, collectam et dispositam per scientias medicinae auxiliatrices: chymiam potissimum, botanicen, zoologiam et physiologiam comparatam interpretari et illustrare studeam: ita tamen, ut sanioris critices ad examen quaevis revocentur, exemplo litteratorum nobis proposito, qui in librorum contextu emendando, et interpretum sententiis ponderandis utilissimam profecto operam collocant. In explicanda materie medica ejus methodi periculum facere cupio, quae prae reliquis medicinae partibus maxime critices opera indiget.

SYLVA SIVE MATERIES MEDICA HUJUSQUE EXPONENDAE METHODI.

Ingens numerus est medicamentorum, sive remediorum, quibus ad morbos sanandos utuntur medici. Haec sylva medica, quae indies crescit, illius scientiae materiem praebet, quae adpellatur *pharmacologia*. Quae quomodo colenda sit, ut medicis artem facientibus serviat et opituletur, explanare, sed frustra hactenus tentarunt.

Alii nimirum solam praxin et experientiam audiendam esse, alii ex chymia et botanice solis sapiendum esse, alii ad physiologiam et dynamicam doctrinam cuncta esse referenda opinantur; unde alia aliaque nata est interpretandi ratio. Prior

methodus peperit materiem medicam empiricam, altera pharmaceuticam, tertia pharmacodynamicam, quae quidem eo ordine tractandae, quo hic proponuntur, ut incipiamus a practica disciplina, huic subjungamus pharmaceuticam, in pharmacodynamicen denique desinamus. Quod si sequamur, nobis comparabimus hujus disciplinae medicinalis cognitionem geneticam, varias lustrantes ipsius phases vitaeque periodos, quarum ultima est pharmacodynamice, quae ex prioribus illis prodiit et nisi iisdem nitatur, inanis prorsus et conjecturalis esse debebit.

Quae cum ita sint, primo basin empiricam tamquam firmissimum jaciemus fundamentum, supra quod aedificabimus pharmacologiam dogmaticam, non teretem illam forma et rotundam, sed minus tamen, quam hactenus fuit, mancam et imperfectam.

Illud praeterea commodi inde et emolumenti consequemur, ut simul aliquam habeamus notitiam modi, quo corpus vita praeditum, organicum, aegrum adficiant remedia ipsumque iis adfectum renitatur haecque illo vicissim adficiantur. Nam actio remediorum primo physica est, aut chymica, tum physiologica fit, pathologica, therapeutica, sive in sanguinem recipiantur et per sanguinem corpus ejusque partes mutent, sive nervorum contactu vim suam exerceant.

Intelligitis, plura esse debere pharmacologiae

adminicula: eruditionem practicam, observationem et experientiam, analyses chymicas, adfinitates botanicas, toxicologiam, naturae denique organicae scientiam, quae sic administrare oportet, ut alterum alteri subveniat, alteroque emendetur, amplificetur, perficiatur alterum. Neque hisce tot tantisque licet, operis definitur difficultas, verum ex simplicibus componendae sunt conjunctorum formulae, mixtae ac diversimode temperatae, ne alterum alteri officiat et impediatur, quo minus in unum finem conspirent universa, quod majoris profecto artis est, quam vulgo creditur. Tandem inprimis opus est arte critica, qua totum opus collustretur. Quae cum cogitem, me tanto labori minime parem esse sentio ac tantopere absum, ut a me absoluti quid efficere posse hac in re existimem, ut in ipsa hac operis difficultate honestam sperem apud vos inventurum excusationem, mihique nihil superesse videam, praeter illud, non gloriosum quidem, homine tamen liberali haud prorsus indignum, καδδυναμιν ἐ'ρδειν.

Vos valete et communium servate studiorum amorem.

DE DISCIPLINA UNIVERSE.

Medicina domestica fons fuit ac principium, unde materiae medicae nobis orta est scientia. Quam quidem originem antiquissima de ea scripta edita testantur. Secuta est theoria, quam physica, chymia, botanica, physiologia diversimode adornarunt quaeque in dies perficitur. Hujus ut nobis comparemus cognitionem, praestabit, historia duce, traditiones primum, deinde interpretationes exponere atque ad nostra usque tempora traducere.

Incipiamus a mucilagineis, quippe quae cum nutrientibus maxime conveniunt suntque igitur inter medicamenta simpliciora, leniora numeranda.

EMOLLIENTIA, DEMULCENTIA.

ALTHAEA OFFICINALIS.

A Dioscoride celebratur usus althaeae multiplex, cum externus, tum internus, demulcens,

emolliens, in vulneribus, abscessibus, inflammationibus: succurrere etiam ei dicitur radicis decoctum, ex vino potum dysuria laborantibus, aut calculo, aut ischiade, aut dysenteria alvique profluvio. Laudatur ab ALEXANDRO TRALLIANO in adfectibus renum calculosis clyster ex althaeae decocto Cf. HALLER *Art. Med. Princ.* VII. pag. 17. DIOSCORID. I. pag. 492 sq. Ed. SPRENG. Commendat BOERH. in *Mat. Med.* ad *Aphor.* 35. N°. 3. Deinceps traductus usus est ad morbos pectoris: raucedinem, pleuritidem siccam; praesertim vero mucosae pulmonalis: etiam in oculorum inflammationibus, post morbillos, usu externo. In omni inflammatione, speciatim in gonorrhoea (blennorrhagia urethrae) juvare monet VOLTELEN I. pag 102, laudato etiam STOLLIO, *Rat. med.* I. p. 174, qui alio loco l. l. II. pag. 400. inflammatorium esse hunc morbum MORGAGNO adsentitur.

En summam traditionis medicae de hoc remedio! Hanc cum botanice, tum chymia interpretari fortasse poterit. Prior animadvertendo convenire malvaceas (ex hac enim familia est) virtutibus medicatis esseque inter exoticas complures mucilagine divites interque eas pavoniam diureticam, in dysuria et stranguria utilem, posterior indicando muco vegetabili (bassorinum hodie dicitur) abundare, asparagino nuptum: illius vero usum in medicina majorem esse, quam gummi, ac mirum quantum compensare posse mucum animalem, in iis quoque

casibus, in quibus ipse omnem sanguinem circumire debet, uti in vesicae catarrho (BERZELIUS, *Lehrb. d. Ch.* VI. pag, 410).

Nuper MITSCHERLICH rad. alth officin. ceu medicinam emollientem, involventem, lenientem in dysenteria, diarrhoea, inflammationibus intestinorum, acribus in primis viis haerentibus, nec non in adfectionibus phlogisticis organorum spirandi et officinae urinarum, cum intus, tum extus adhibitam, in gargarismatibus, collyriis, fomentis celebrat, ac similiter SOBERNHEIM in phlogosibus officinae respirationis, digestionis et secretionis urinae, potissimum catarrhalibus, prodesse testatur.

Nonne in hisce perpetua traditio medica, ab antiquo inde aevo ad nostra usque tempora perducta, supparem indicat, in pari genere morborum, althaeae et malvacearum universe salubritatem?

Praescribendi modum tradidit PHOEBUS, qui tamen nimium aegrotantium palato gratificari videtur.

Althaeae et malvacearum quarundam formas adumbrandas curavit HAYNE, *Arzneigew.* II, 25—30.

RADIX SALEB.

Orientales orchideis vim prolificam tribuunt eodemque nomine praedicantur a DIOSCORIDE: de qua,

ut copiose disputat MURRAY, ita addamus oportet; esse orchideas aromaticas, exemplo vanillae aromaticae, quibus, praeter communes, etiam propriae in partes genitales a nonnullis de re medica auctoribus vires adscribuntur.

Quemadmodum althaeae et malvae in mucosam officinae spirandi et uropoieticae, sic saleb in mucosam intestinalem, catarrho adfectam, miras virtutes saepius experti sunt medici. Equidem nullum novi praestantius in diarrhoea catarrhali medicamentum. In dysenteria, in qua fructuose adhibuit DEGNERUS, id habere incommodi, quod alvum nimis stringat, et hic et ZIMMERMANNUS scripserunt (*): idemque monendum de administratione in scorbuto ad acrimoniam obtundendam, quo consilio laudavit PERCIVAL inque morbis phthisicis, nisi alvo laxiori, illibata ventriculi valetudine vigenteque adpetitu: siquidem crebro nauseam parit.

Caeterum principium radicis non esse amylum, sed mucum notavit BERZELIUS l. l. VII. pag. 357.

Praescribuntur dr. β, ϑij. solvendi unciis viij —xij. aquae. Minus recte aromata adduntur, ubi demulcendi consilium est, in morbis phlogisticis,

(*) Cf. Jo. HARTM. DEGNER *Hist. med. de dysenteria* pag. 169 sqq. et Jo. GEORG. ZIMMERMANN *von der Ruhr* pag. 518 sq. In diarrhoea puerperarum laudavit MICHAËLIS, HUFEL. *Journ. XIII.* 2 St. pag. 37.

febrilibus, ne ipse quidem syr. cort. aurant. aut cinnam. quod vulgo a medicis fieri solet inque formulis magistralibus praecipitur. WINKLER *Abbild.* Tab. XXIX—XXXIV.

GUMMI TRAGACANTHA.

Tragacanthae mentionem fecit THEOPHRASTUS, in Hist. Plant. ipsaque veteres crebro utebantur. HAYNIO l. l. X, 7, 8. astragalus verus et astragalus gummifer (forsitan etiam astragalus creticus) species habentur, quae hoc gummi largiuntur. Constare vero ex gummi et muco vegetabili: hoc potiori parte et pauxillo amyli, scripsit MITSCHERLICH, partemque unam cum 60 partibus aquae spissam facere mucilaginem. Alii mucum (bassorinum vocant) cum gummi arcte junctum, alii propriam substantiam esse in tragacantha gelatinosam perhibent (GUIBOURT) seu peculiarem amyli speciem.

De usu therapeutico, qui radicis saleb suppar, bene praecepit MURRAY II. pag. 382: » acrem stimulum, diarrhoeam vel dysenteriam suscitantem, ut alia gummosa involvit, humores tenues incrassat, jacturam glutinis naturalis cavorum, ut in stranguria inde orta, resarcit, fissuras labiorum, vel papillarum consolidat.

Ex ea species diatragac. frig., cui substituere pulv. gummos., componitur.

Astragalum exscapum ad luem veneream adhiberi, notarunt MURRAY VI. pag. 84 sqq. et RICHTER I. pag. 135.

GUMMI ARABICUM.

Videtur DIOSCORIDIS ἀκακια esse acacia vera. Is idoneum esse succum expressum ad oculorum adfectus, erysipelata, herpetes, procidentias palpebrarum, fluxum muliebrem uterique prolapsum alvique profluvia, vi styptica, refrigerante, paremplastica notat. MURRAY usum hujus gummi in dysenteria probat testimoniis DEGNERI, PRINGLII, ZIMMERMANNI. Aptum quoque remedium habet in diarrhoea, speciatim symptomatica, etiam in clystere. Tussim lenire, phthisicis opitulari, raucitatem tollere, stranguriae et tenesmo mederi, calculosis lenimen obferre subjungit et erosis mammarum papillis utiliter inspergi. Principia commemorat MITSCHERLICH. An nutriat, hodie dubitatur, quippe azoto carens: hinc forsitan morbis phlogisticis idoneum. De arboribus, unde provenit Cff. GEIGER *Pharm. Univ.* p. 86. et HAYNE X, 28—34, qui animadvertit, non unam acaciam g. arabicum largiri deque variis unius arboris partibus varium duci.

Ex leguminosis sunt, quae ex sententia celeb. AGARDH multis dotibus praestantes cum homine inter animalia comparandae sunt: unde difficultas maxima in systemate naturali medico ex iis nascitur, fatente DE CANDOLLE. Cf. DIERBACH, cui gummi productum morbosum dicitur.

SEMEN CYDONIORUM.

Mucilago duntaxat usu externo adhibetur. Ab Arabibus primum hoc semen in censum medicaminum relatum esse docet erud. MURRAY III. Laudavit ACTUARIUS mucilaginem in morbis pectoris. Hodie in excoriationibus labiorum, papillarum, aliis, ab ustione inque collyriis (dr. j. ad dr. viij. aquae) praescribitur; efficacia an a vi subadstringente, an ab acido hydrocyanico, dubitat RICHTERUS, mucilaginem hanc albumini comparans. Proculdubio mucilago radicum a seminum mucilagine differt.

AMYLACEA, SACCHARINA.

Amylacea sunt fere alimenta. Notandum Hordeum, unde phtisanam suam parare jussit HIPPOCRATES, febricitantium potum. Qui multorum medicorum mos est, ex amylaceis praescribendi pultes infan-

tum, improbandus hisque longe praestant pultes ex pane biscocto, ne in scrofulosin et atrophiam mesentericam incidant.

Saccharina sunt: rad. liquiritiae, saccharum, manna, mel.

Saccharum a VOGTIO laudatur in apepsiis, ex abusu spirituosorum: siquidem temperat ructum et vomitum, in leviori bilis officinae et portarum venae affectione. Auctore RICHTERO, adpropinquat ad acidorum naturam, emaciat, est scorbuti prophylacticum et in cachexiis modico usu prodest. Stomachicum est, ventriculo debili, irritabili ex indigestione, tum post pastum, tum summo mane, ex aqua sumptum, usuque externo tamquam lenis stimulus ad maculas corneae, ut sternutatorium in coryza: ulceribus fungosis inspersum, etiam aphthis medetur puerorum. MITSCHERLICH aquam saccharatam tamquam temperans laudat in morbis phlogisticis, febrilibus; etiam tamquam diureticum laudari monet, nec non in erethismo nervorum. In caeteris RICHTERUM videtur imitatus.

Ad gramineas pertinet, quarum adfines virtutes celebrant DE CANDOLLE, DIERBACH et LINDLEY. Rad. gramin. ex hisce crebro a majoribus nostris adhiberi solebat. Cf. SWIETENIUS in *Comment.* ad *Aph.* BOERH. pluribus locis. E recentioribus Cf. MITSCHERLICH, I. pag. 538 sq.

Mel album, virgineum praestat despumato, aut flavo. Ex florum nectare paratum, nec raro fra-

grantiam retinet, quorundam etiam venenum. Adhibetur in morbis pectoris, ut expectorans, in morbis abdominis, ut deobstruens. Teste ALBERTI, solo melle quotidie cum pane similagineo comesto convaluit puella ex ulcere pulmonum. A veteribus et usu domestico et usu medico adhibitum; Arabibus dictum est saccharum animale. A BOERHAAVIO, SWIETENIO, MUZELIO in viscerum infarctibus, a PRINGLIO in morbo calculoso praescriptum est. Ejus praeparata sunt: hydromel, oxymel, mel rosarum. Cf. RICHTER, I. pag. 276.

MANNA.

Sunt plures fraxini species, ex quibus manna elicitur: fraxinus ornus, rotundifolia, excelsior. Secundum HAYNE solus fraxinus ornus mannam praebet, quae in officinis prostat. Elicitur vulnere insecti, tettigoniae orni, sive incisione arte facta. DIERBACHIO habetur productum morbi, negante MEYEN II, 271. Principio proprio gaudet, mannito et materie extractiva, unde vis purgans pendere dicitur, qua Arabes primum usi feruntur. Est lene eccoproticum, quod infantibus gravidisque tuto datur ac laudatur in variolis ad coërcendam febrem suppuratoriam. Etiam post variolas insititias, ad finem morbi: quodsi negligatur, exanthema pruriens nasci solere notavit MURRAY. In

renum calculo mictuque sanguineo commendat SYDENHAM *Opp.* pag. 554. Ed. Lugd. Bat. » Cum bruma a. 1676. (sic rem ipse refert) statim a soluto rigidissimo gelu diu multumque ambulassem, urinam mox reddidi sanguine permistam: idque toties mihi usu venit, quoties vel multum itineris pedibus conficerem, vel in curru per platearum pavimenta veherer, quamtumlibet lento equorum gressu; quod mihi tamen non accidebat quoties per viam regiam lapidibus non stratam, licet quam longissime curru vectarer. Urina, quam tunc excernebam, tametsi terribili sanguinis, tantum non sinceri, specie prodiret, non ita diu post, sanguine in fundo seorsim grumescente, in summitate limpida et sui similis conspiciebatur. In hujus mali remedium sanguinem satis copiosum e brachio mitti curabam et post purgationes universales medicamenta refrigerantia et incrassantia varii generis in usum revocabam; diaetam interea his consentaneam adhibens, liquores acidos, acres et attenuantes sollicite devitans. Cum autem neque ista, neque alia permulta, quae numerare longum esset, quidquam prodessent et metuens calculum, quem grandiorem esse suspicabar, quam ut expelli posset, aquis chalybeatis ad exitum sollicitare, tandem spem rei bene gerendae prorsus amisi: idque eo potissimum nomine, quod observaram, senes aliquot mihi notos sibi mortem accersisse, dum hujusmodi remediis incassum morbi curationem

molirentur. Stetit itaque sententia, non amplius tentare, at vitato tantum, quam potui maxime, corporis motu, ab hoc effectu mihi cavere. Tandem vero animo forte recolens, quam mire nonnulli depraedicent seminis fraxini vim lithontripticam, subiit cogitare, quod si semen ejusmodi virtute polleret, omnino verisimile esset, mannam fraxini adhuc plus posse. Experimentum itaque facturus, mannae ℥ ii β in seri lactis ℔ ij solutae, hausi, pauxillum succi limonum subinde, dum purgarer, deglutiens; quo et catharticum acuerem, quod segnius operari solet, et ventriculo minus ingratum redderem. Ab hujusce remedii usu vix dici queat, quantum ego levaminis circa renum regionem perceperim; licet enim antea non semper dolerent renes, tamen pondere quodam gravativo et molesto sensu afficiebantur. Quod cum ita feliciter mihi cessit, idem catharticum singulis hebdomadis, stato quodam die, ad menses aliquot continuos, in usum revocabam et post singulas catharseos vices melius me habuisse, plane sum expertus: donec tandem etiam rudiorem currus conquassationem ferre potuerim, ab hoc symptomate prorsus liberatus usque ad veris tempus jam proxime elapsum." Hujus curationis mentionem injiciens FRED. HOFFMANNUS: denique non praetereundum est, inquit, quod manna virtutem quodammodo obtineat diureticam, quam in dysuria et urinae suppressione conspectius exserit. Ut enim

complura alia, quae crebrius observavimus, mittamus, non possumus, quin luculentum hoc interseramus exemplum. Laborabat nimirum ante aliquot annos septuagenarius quidam per septem dies urinae suppressione, post mictionem cruentam infestante, cum exquisitissimo circa regionem pubis dolore et plenaria alvi constipatione. Placebat catheteris immissione fluxum proritare, sed frustra, quum ne gutta quidem prodiret. Exhibebatur tandem decoctum nostrae ordinationis mannatum, cujus usum tam auspicatus subsequebatur effectus, ut non tantum alvus aliquoties summa cum euphoria solveretur, sed urina etiam ad aliquot mensuras efflueret."

Notetis, etiam althaeam a SYDENHAMO in paroxysmo nephritico, cum ore sumendam, tum enemate in processibus integris commemorari: an cremor tartari pariter ab eo fuerit commendatus, ut scribit HOFFMANNUS, ignoro: locum saltem non reperio. Ipse vero HOFFMANNUS in exemplo proposito nna cum manna praescripsit: quamobrem dubium videtur, utrum ab hac, an a tartari cremore praedicata remedii diuretici virtus repeti debeat. Cf. hujus Diss. *de Manna ejusque praestantiss. in med. Usu.*

Monendum est interim, si chymicorum recentiorum placita circa metamorphosin saccharinorum in acidum lactis hujusque acidi usum vera sint, hujus remedii, mannae inquam, in morbis calcu-

losis salubritatem minus habere, quod miremur, praecipue, si cum materie extractiva fuerit principium saccharinum copulatum et per additum remedium ad renum colatoria ductum.

Notat ARNEMANN, vim mannae purgantem nullam esse, nisi fermentationis initium expertae; quae fermentatio cum in ventriculo non desinat, inde flatulentiam provocare intestinisque imbecillioribus nocere. ARNEMANNO adsentitur RICHTERUS additque principium illud nauseosum, quo instruitur, convenire, ubi dubitatur, utrum superne an inferne purgandum sit: in melaena etiam, sanguine in intestinis haerente: inque morbis pectoris mannam commendat. Saepe acuitur aliis purgantibus, praesertim salinis, aut corrigitur carminantibus. Franci, auctore MAGENDIE, adhibent mannitum, cui vim purgantem inhaerere contendunt, negante BERZELIO: alii utrumque principium purgare opinantur. Dosis est unc j—ij. Non coquenda, sed solvenda, neque miscenda cum acidis (PHOEBUS). Externo usu praescribitur a BEERIO in amaurosi, ad revocandam coryzam: gr. x soluta unc iv lactis, Schneiderianae admovenda.

RAD. LIQUIRITIAE.

Radicem adhibuerunt veteres ad sedandam hydropicorum sitim eaque propter adipson adpella-

verunt: sanare et vesicae scabiem, renum dolores, condylomata, ulcera genitalium, PLINIUS auctor est, *Hist. Nat.* lib. XXII. cap. 9, quae laudes in morbis officinae urinarum eam ob caussam animadverti merentur, quia ut althaea asparaginum habet. Caeterum principio peculiari, quod glycion dixerunt et materia extractiva amara gaudere notant chymici; quod glycion e saccharo esse et materiae extractivae pauxillo existimant CEREOLI et HAYNE. Is duas species adumbravit: echinatam, quae veterum, in Russia quoque usitata, et glabram. VI, 41, 42.

Propter principium illud saccharinum glycion, alïs glycyrrhinum, inprimis pectorale fit remedium, in morbis pectoris, catarrhalibus magnopere usitatum: his enim inprimis proficua habetur radix.

Denique plurium remediorum corrigens esse: cort. peruviani, flor. arnicae, salis ammoniaci recentiores docuerunt. Cf. PHOEBUS l. l. I. pag. 43. II. pag. 431. Infundi aut leviter tantum ebullire oportet.

Qui ex ea paratur, succum liquiritiae in catarrho pulmonum ad sesquiunciam per diem sumpsisse idque eventu optimo refert TISSOT, *Avis au Peuple* p. 200; *Oeuvres* T. I. Ed. HALLÉ.

(*) Fama est, dolores haemorrhoidarios sedare: quodsi usu compertum sit, quomodo explicandum?

OLEOSA, PINGUIA.

Oleum olivarum, oleum amygdalarum dulcium, oleum papaveris albi, oleum lini, oleum hyoscyami ea fere sunt, quibus in morbis cum internis, tum externis curandis utuntur medici, quorumque ultima solo externo usu adhiberi solent.

Inunctiones oleosae in hydrope: anasarca, ascite a veteribus usurpatae et a recentioribus repetitae, mihi etiam non semel utiles probatae, cum in rheumatico, tum in spastico genere: quo refero et observationem Volteleni, solvi internarum partium spasmos, emollita externa corporis superficie, ideoque ad dolores colicos, cardialgicos, uterinos mitigandos conducere oleosa; et experimenta aliorum, qui oleum in urinis repertum testantur.

Nec tantum Richteri testimonio ad alvum reserandam in enteralgia, verumetiam testimoniis Boerhaavii, Trallesii, Rosensteinii ad infantum tormina et alvi fluxus compescendos clysteres oleosi profuerunt. Et praecipiente Vogtio (II. pag. 705.) ad cohibendos sudores phthisicorum. Praeterea saevis inflammationibus mederi dicuntur Haenio *R. M.* T. I. p. 24. quod ex mea experientia sic quidem interpretor, si cum gravibus stricturis spasticis fuerint conjunctae: siquidem saepius miratus sum magnam olei in affectibus spasmodicis sedan-

dis efficacitatem. Quanta autem convulsionum sive arcendarum, seu sanandarum in oleo sit potestas, GALENI monstrat in semet ipso facta curatio, cujus meminit SWIETENIUS, (*Comm.* I. pag. 242.) et ANT. VALISNERII relatio, narrantis cum vir patricius convulsivis affectibus jam annum laboraret, nec caetera juvissent, successisse sibi curationem, nihil aliud imperanti, nisi ut loco coenae unc. ij. sumere adsuesceret olei, ex dulcibus amygdalis recens expressi. In rite aestumandis viribus therapeuticis oleosorum animadvertenda est peculiaris ad hepar relatio, recentiorum chymicorum studiis indagata.

EMULSIONES, ALBUMINOSA.

Ad oleosa pertinent emulsiones, quae parantur ex fructibus amygdali communis, ex seminibus papaveris albi, cannabis sativae, cucumeris, melonum, caet. Emulsiones amygdalarum dulcium, notante Cl. VOLTELEN, eximii usus in phlogosibus, rheumatismis, morbis hecticis, agrypnia, spasmis, calculo, dysuria, colica, excretionibus nimiis, verbo ubicunque temperandum, demulcendum, humectandum est, a vi nutriente macilentis, atrophicis, phthisicis, ex graviori morbo convalescentibus, senibus, cacochymicis, etiam femellis lactantibus merito commendantur: modo caveatur,

ne nimio usu ventriculum labefactent. In febribus convenire, ubi alvus liquidior, RICHTERI sententia est; in officinae spirandi et urinarum irritatione fructuose adhiberi animadvertit MITSCHERLICH. Quodsi ne alvum stringant, metus est, manna addi poterit: qua additione crebro usus sum; quae tum etiam, ubi urinae difficultas est, commendabilis est. Recte VOGTIUS analogiam cum lacte animadvertit, ut ideo non immerito lac vegetabile vocari posset. Supparis virtutis est emulsio sem. pap. albi et semin. cannabis sativae, quarum haec a SYLVIO nostro, *Prax. med.* I. pag. 302, 306. tamquam remedium domesticum in ictero laudata, mihi saepius se probavit saluberrimam. Semen olim in genitalia vim specialem exserere credebatur; hinc ad gonorrhoeam, uteri inflammationem, pollutionem nocturnam specifici titulo laudabatur. Cf. VOLTELEN I. pag. 146. Emulsio denique cucumeris omnium dilutissima, lenissima, in febre hectica phthisicorum idonea potio est.

GELATINOSA.

Hujus loci est decoctum album, quod e rasura cornu cervi parare jussit SYDENHAMUS, et gelatina ejusdem, tamquam leniter nutrientia phthisicis, infirmis, convalescentibus proficua: quae inter ea

recenseri possunt alimenta, quae nuper thoracica vocavit LIEBIG.

DE EMOLLIENTIBUS ET DEMULCENTIBUS.

Emollientia comprehendunt mucilaginea, gummosa, amylacea, saccharina, oleosa, gelatinosa.

Adficiunt primo loco mucosam ventriculi et intestinorum. Tum absorberi inque sanguinem suscipi videntur, nec tantum mucosam intestinalem, verumetiam pulmonalem, uropoieticam, genitalem, sive per consensum, quae antiquiorum, sive per sanguinem, quae recentiorum opinio est, demulcere et ab irritatione liberare. Involvere scilicet creduntur stimulos acres, et humorum quoque inquilinorum ipsiusque sanguinis temperare crasin, simulque leni nutrimento quamcunque corporis irritationem amovere. Hoc pacto mitigari phlogoses et emendari dyscrasias et leniri spasmos et turbas in oeconomia compesci.

Nec tamen suppar omnibus potestas. Nam, ut nonnulla ventriculo et intestinis, sic alia mucosae pulmonum, alia mucosae uropoieticae et genitali magis cognata videntur, alia denique bilis officinae potissimum adfinia.

Est in muco vegetabili, in bassorino, virtus mucosae tum intestinali, tum pulmonali maxime amica. Saccharina muci secretionem augent. Oleo-

sa chylum et sanguinem temperant: praecipue vero per hepar colari videntur simulque stricturas spasticas solvere.

Etiam animadvertenda compositio est, in aliis alia: gummi cum amylo, muci cum saccharo, olei cum albumine, aut plurium junctorum; unde plurimum mutari debet efficacitas therapeutica, quod variis quoque miscendis per artem imitamur. Hujus census sunt eclegmata oleosa, emulsiones cum mucilagine, cum saccharo, cum manna, gelatinae cum albumine, cum gummi, cum syrupo, quarum compositionum in formulis magistralibus exempla non desunt: quasque non tantum therapeutico, verumetiam diaetetico consilio, in morbis phthisicis, hecticis, aut in gratiam convalescentium variare oportet. Quod si verum est, quemadmodum recentior chymia suspicatur, non uno alimenti genere, sed pluribus bene vitam sustentari, ac suo quodque principio, quod periit, instaurari debere, magna utique doctae miscelae in curandis aegris infirmis ac convalescentibus erunt commoda et emolumenta.

AMARA.

LICHEN ISLANDICUS.

Ab emollientibus remediis ad amara transitum facit hic lichen. Ab Islandis primam virtutis medicae notitiam profectam esse, probabile est, ita MURRAY, V. pag. 509, qui ipsi in phthisi aliisque quibusdam pectoris morbis lichenem magni faciunt. Jamque a. 1737. notavit LINNAEUS, plures phthisicos jusculo ex hoc lichene cocto se per longum tempus sustentasse absque incommodo et fere absque manifesto laxationis alvi, quam nonnulli ei tribuunt, effectu. Resuscitavit tandem memoriam ejus, a. 1769. meritissimus SCOPOLI, confirmavitque BERGIUS: se saepissime praescripsisse et vidisse plures phthisi pulmonali obnoxios, imo et symptomatibus phthiseos vexatos ex usu pulmenti e lacte et lichene parati in integrum restitutos atque etiam pingues factos. In quae praeconia sic prideni animadvertentem audite VOLTELENUM: » habent id

sive vitii, seu negligentiae, qui de materia medica scripserunt, auctores, ut vires medicaminum obiter modo tradere satagant, de variis, quae usum aut minus idoneum, aut noxium reddere possint, conditionibus, parum solliciti; quum tamen certum est, nisi therapia universalis facem praeferat, mancam esse mutilamque pharmacologiam."

Est phthiseos pulmonalis species [pituitosam, mucosam, catarrhalem vocant, rectius blennorrhoea pulmonum adpellanda] quae ex bronchitide, sive catarrho superest, cui lichen islandicus optime medebitur.

Hanc ex antiquioribus commentati sunt MURRAY, STOLL, RICHTER: quorum hicce, se lichene islandico plures sanasse phthises ex febribus gastricis superstites refert. Ex historiis phthisicorum, quas retulit tribus, duae sunt, in quibus lichen fuit praescriptus; erat autem a catarrho natus morbus, ipsumque medicamentum, post adhibitam curationem antiphlogisticam, utiliter datum et copulatum cum stip. dulcamarae. Cum RICHTERI convenit experientia STOLLII, cujus haec verba sunt: »tussim nocturnam maxime et sputa crassa, pituitosa, copiosa et phthisin pituitosam a febribus gastricis, quae aut aegrotantis aut medici negligentia, aut mala medicatione in malignas abiere, perfrequentem, saepenumero amaris remediis, lichene, polygala, rad. arnicae et cort. peruviano, ac diaeta restaurante sanavimus." *Rat. Med.* II. 98 et 301.

prius dicta confirmans: » phthisin hanc pituitosam, inquit, lichene islandico et polygala, frictionibus aromaticis et victu restaurante plerumque sanavimus, ubi alvinae lubricitati pulvis rad. arnicae pulchre opitulabatur." Lichen islandicus, ita pridem expertus erat, (I. pag. 209.) laxo imbecillique pulmoni pulchre medetur inque spuria illa phthisi (gastrica) quam equitatione sanari, supra diximus, vires non contemnendas possidet: haemoptysi et phthisi inde natae aeque parum ac cort. peruv. aut alia roborantia convenit." De salubritate hujus remedii in phthisi post morbillos plura testimonia relata in *Collect. Soc. med. Hauniens.* Tom. I. ab experient. SCHOENHEYDER, retulit Jo. ANDR. MURRAY vir cl. iisque subjunxit quoque experientiam doct. HERZ. Quae si perpendamus, videbimus, eâ in phthisi, quae ex prima officina originem repetit, primo loco indicari, tum quoque prodesse in catarrhali, sive catarrho chronico pulmonum, in qua, rem notante MACBRIDIO, incisis mortuorum corporibus, totus pulmo visui tactuique massam quandam mollem repraesentat, nullumque paene contextus organici vestigium II. pag. 120. Est denique tertia, a celeri corporis incremento, et quarta chlorotica, quibus saepius feliciter per lichenem medemur: hisce addenda phthisis mesenterica infantum ac puerorum, quam hocce cum cort. peruv. conjuncto tollere saepenumero mihi contigit. Itaque per excellentiam phthisi me-

detur gastricae, sive cum primae officinae vitio conjunctae (*).

Exinde ad alias viscerum exulcerationes ejus usus traductus est (QUARIN I. 242.) et ad convalescentes ex febribus, extenuato corpore: ad blennorrhoeas intestinorum et atrophiam. In quibus morbis juvare connubio principii amari et amylacei, cum digestionem promovendo, tum nutriendo, nuper in *Mat. Med.* monuit MITSCHERLICH. I, p. 206 sqq. In diarrhoea chronica minus commendabilis ei videtur et hoc quidem juremerito: quandoquidem alvum potius movere, quam sistere solet.

Duo, quibus gaudet, principia seorsum administrare licet: quod tamen minus necessarium est, quia ab una parte amaris abundamus iisque variis; ab altera parte in lichene carachenico nuper detecto habemus lichenem nutrientem, gratum, omnique amaritie carentem.

Praescribendi formulam quod adtinet, decoctum utplurimum nimis spissum praescribitur, quare praestat consilium sequi cl. VOLTELENI, qui jubet, ejus unc. j. ad colat unc. xvj. decoqui. Quodsi ad diarrhoeam compescendam ipso utamini, opus erit

(*) Nonne, quae vulgo adpellatur phthisis pituitosa, saepe cum tuberculis? An in ejusmodi casu tuberculosis bronchitidem praegressa est, an ipsam est secuta? An non et saepius ex morbo abdominis tuberculorum secundaria in pectore eruptio?

addere rad. columbo vel cort. cascarillae, quo ultimo connubio fructuose usus sum in phthisi nervosa, sive primaria, seu secundaria: typhi, i. e. febris nervosae sequela. Cum cortice peruviano utiliter copulatur in febre mesenterica et atrophia scrofulosa tenellorum. Cum acidis fossilibus, praecipue cum tinct. acid. aromat. in phthisi scorbutica: quae variarum medicinarum idonea compositio et ad singulos casus adcommodatio majoris profecto artis est, quam vulgo existimatur.

Gelatinae lichenis islandici cum gelatina c. cervi conjunctae formulam proposuit PHOEBUS II. pag. 320. No. 639. Cetrarinum (princ. amarum) adversus quartanam laudavit L. MULLER. Cf. SOBERNHEIM l. l. pag. 380. Ipse adversus intermittentes gastricas, languente vita plastica, decoctum lichenis islandici expertus sum efficacissimum.

GENTIANA.

Torpor ventriculi et intestinorum excutere videntur amara: alacriorem suscitare motum peristalticum, musculi intestinalis motus coördinare sicque languentem accelerare sanguinis per venas abdominales circulationem: quae virtutes sunt tincturae compositae WHYTTII in hypochondriasi et pulveris ducis Portlandiae in podagra, ex eadem

radice pullulante: cujus formulae antiquitatem ex veterum scriptis indicavit Jo. CLEPHANE, in *Med. Obs. and Inq.* Vol. 1. pag. 126 sqq. (*). Ob cognationem arthritidis cum calculo et huic cum fructu gentianam fuisse oppositam, censet erud. MURRAY citatque LINNAEUM, *Amoenit. Acad.* Vol. II. pag. 159, 161. simulque commemorat, inter febrifuga quoque, praecipue ante detectum cort. peruvianum, nituisse rusticisque Alpinis et Montanis in Alvernia saepissime contra febres successisse: quin et chinae fuisse aequiparatam, minus tamen probatam SENACCIO, qui in libro: *De recondita febrium natura:*" de aliis amaris, inquit, nil est, quod dicam: incerta quaedam, aut quandoque non innoxia sunt: hoc v. gr. gentianae non immerito exprobrari potest, cum ipsi acrior insit amarities." Quod ut ille in Gallia, inter suos expertus videtur, sic nostris hominibus saepius profuit: mihique cum pridem, tum nuper etiam se probavit efficacissimam, per eam solam feliciter expugnanti tertianam vernalem recidivam. Vim autem calefacientem an pauxillo olei aetherei tribuenda, quod RICHTERUS eo contineri docet, quaeri posset: alii narcoticam ei vim tribuunt, supparem ac quassiae tribui videbimus. Is diu protracto usu sudoribus impertire amaritiem ac mederi ca-

(*) Cff. tamen, quae de usu amarorum in arthritide et podagra notavi infra ad locum de centaurio minori.

chexiae ex abdomine et scrofulae nascenti animadvertit. Et chlorosi et amennorrhoeae ex torpore uteri mederi existimat SOBERNHEIM.

Gentianeas viribus etiam in variis partibus convenire, observat DE CANDOLLE: nonnullas tamen exceptiones notavit DIERBACH. Quatuor species adumbravit HAYNE: luteam, punctatam, pannonicam, purpuream XIII, 28—31. Proprio principio crystallino nonnulli vim adscripsere: quod TROMSDORFF omni sapore et odore expers repperit. Caeterum veteribus cognita vis antiarthritica, antipyretica, antihelmintica deque ipsa AËTIUS *Tetrab.* I, 1, 15. » Gentianae radix efficax est, ubi opus est attenuare et depurgare extergereque et ab obstructionibus liberare." An vis diuretica? An probat urinae amarities? An per amara aequilibrium inter sensum ex motum, inter nervos et musculos, inter sensibilitatem et irritabilitatem, duos istos vitae factores, restituitur?

Ad has quaestiones vos respondebitis, ego antequam ad alia progrediar, critico judicio, quae de singulis gentianae dotibus medicorum practicorum testimonia prius citata docuerunt, subjiciam. Et primo quidem usus illius in podagra perquam dubius est: quandoquidem refert CULLENUS exempla podagricorum, qui postquam diu adhibuerant pulverem ducis Portlandiae in affectus hydropicos lethales inciderunt. Induciae quidem ab hoc remedio impetrari potuerunt, ipsa autem labefactata

valetudo restitui non potuit: immo nequaquam sublata constitutione venosa oppressum podagrae paroxysmum hydrops secutus est. Timendum praeterea, ne in corpore impuro impura accendatur per remedia isthaec inflammatio, externae, arthriticae vicaria.

Par esto de encomiis in calculo judicium: ut sola supersit remedii vis stomachica atque febrifuga, ipsi cum reliquis amaris et amaricantibus communis, neque tamen alcaloïdeis ex cinchona suppar.

QUASSIA AMARA.

Remedium Surinamensibus cognitum est, ut stomachicum et febrifugum. Prius flores, tum radix et lignum usurpare solebant medici: hodie hoc fere solum usurpant. Tissot tamquam tonicum viscerale cortici peruviano praeponit. Plurima feruntur exempla, teste Volteleno, sanationis in morbis chronicis: anorexia, hypochondriasi, colica flatulenta, spasmis atonicis, arthritide, calculo, fluore albo, sudoribus nimiis, haematuria rebelli, febribus remittentibus, intermittentibus; qui in decocto dosi unc. j. — unc. xvj. utiliter a se praescriptum monet.

Arnemanno dicitur minus calefacere reliquis ama-


image
not
available

hocque in alvi fluxu chronico, habituali, eventu haud infortunato; si viscerum abdominalium atonia ejusmodi amarum tonicum postulare videbatur; quod probe discernendum, ne noceamus, juvare cupientes. Nimirum in sola blennorrhoea intestinali profutura, ubicunque phlogistici quid subsit, maximopere nocitura est. Hoc autem saepius subesse, ipsi mecum experiemini.

CENTAURIUM MINUS.

» De robore, quod stomacho impertit, quotidianis periculis constat, nec minus in febribus intermittentibus inclyta olim. Multos praeterea tenuit omni tempore ejus in arthritide efficacia. Id vero de amaris hoc in morbo in universum sciendum, etsi protractiore eorum usu primarum viarum acor frangatur roburque harum restituatur, immodico tamen gravari ventriculum et vel incenso ultra digestionis vim appetitu, diaetae errores cieri, vel digerendi ingesta potestatem sufflaminari et calida sua natura nocere iis praecipue, quibus plethora temperiesque sponte calida contingit." Hanc sententiam erud. MURRAY confirmant verba BRUNNERI citata a WERLHOFIO *Opp.* pag. 346. Ed. Wichm.

Nemo prudens hodie in podagra, aut arthritide ejusmodi amara in universum commendaverit. Casus, in quibus prodesse feruntur, sunt exceptio-


image
not
available

bata. Minus, quae SALMASIUS scripsit: » haec herba polychresta et plane pleneque benedicta est: est enim simul cathartica, emetica, diaphoretica, alexipharmaca, diuretica, anticterica, antipyretica et anthelmintica, adeo ut omnium salutarium plantarum vires medicae in unum solum carduum benedictum confluxisse videantur et integrum veluti pharmacopolium in illo comprehendatur. Praesertim omnibus morbis, qui ex ventriculi vitiis originem trahunt, medetur. Succus ad ulcera cancrosa putrida, quinetiam venerea commendatur." Quaeque hunc locum citans addidit TRILLERUS: » et profecto splendidus hicce titulus haud plura vane pollicetur ac haec ipsa herba benedicta semperque benedicenda vere praestat." Medio aevo ab ARNALDO DE VILLANOVA, hujus aetatis scholasticae GALENO, plurimum commendata et ex reformatoribus ab LEON. FUCHSIO, his quidem verbis:" spina altera, quam carduum benedictum vocant, obstructiones internorum viscerum tollit, urinam movet, calculum frangit, ulcera potissimum pulmonis sanat;" posthaec subjungens: »recentiores carduum benedictum contra capitis vehementissimos dolores, vertiginem, memoriam amissam valere, tradunt; item ad putrescentia ulcera, mammarum potissimum, si in pulverem redactus inspergatur."

Has virtutes ac laudes ita minuit aequalium censura, ut MITSCHERLICHIO judice vix alia, quam stomachica virtute prodesse videatur vinesque diapho-

reticas et diureticas recentiorum experientia haud confirmet. Aequius de eo judicat Vogt, quandam cum chamomilla adfinitatem habere inque resorptionis et secretionis negotium efficax esse, monens. Praeterea notandum est, plures herbas ex eadem tribu cynarearum viribus diaphoreticis et diureticis esse praeditas: arctium lappam (bardanam) et centaurium calcitrapam proculdubio urinae secretionem promovere eaque propter in adfectibus calculosis similibusque celebrari Cf. Dierbach, *Abhandlung*. pag. 193.

Quae cum ita sint, hanc veterum medicorum traditionem, pro qua adfinitas botanica loquitur, aequalibus et posteris explorandam denuo commendamus.

Adversus febres intermittentes crebro tam in extracto, aq. arom. soluto, quam in infusione cum chamom. rom. rad. calam. aromat. et herb. menth. crisp. hoc remedio usus sum feliciter.

TARAXACUM.

Mirum est, quantopere remedia tractu temporis eam amittunt, quam apud majores aequisiverant, laudem. Potissimum, quae dicuntur resolventia hanc fortunam experta sunt interque ea taraxacum. Comparate, amabo, quae de ipso scripsit Murray l. l. I. pag. 105 sqq. cum recentiorum de materia

medica auctorum sententia. » Efficacia sua, ita MURRAY, omnes fere suae gentis haec superat. Lac vehit valde amarum, in radice amarius. Viscidos tenacesque humores stirps solvit et obstructa vasa reserat, eruptionem variam cutaneam sanat, lotium insuper movet alvumque laxiorem reddit. Succus plantae expressus, ad unc $1\frac{1}{2}$, quin 3 quotidie vere ingestus, sanguinem crassum et lardosa crusta tectum solvit, ita ut mense junio iterum missus justam fluiditatem repraesentaverit." Hic idem succus vel solus, vel cum sero lactis mixtus vel decoctus in ictero insignis efficaciae est. Cf. SWIETEN *Comm.* III. pag. 102. Succo hujus et fumariae femina ab infantia leprosis exanthematibus tentata, aliis frustra adhibitis, convaluit. Contra herpetem quoque valuit. Solo succo taraxaci hydrops in duobus militibus dispulsus est. In obstructionibus sive infarctibus viscerum paene specificum habuit HOFFMANNUS; in melaena adhibuit TISSOT. In plethora abdominali ac reliquiis status phlogistici laudat RICHTER. Haemoptysin a sanguine spissiori ipsa sanavit QUARIN. Clysmata Kaempfiana ingreditur et mixturam STOLLII et decoctum MUZELII adversus melancholiam.

DIERBACH, postquam animadverterat, vere minus amarum esse, magis autumno, citat haec SIMEONIS SETHI, scriptoris sec. XI, de hoc medicamento verba: » obstructiones auferendi vim habet, ut nullum aliud olus. Sanguinis fervorem se-

dat, inflammationes jecoris discutit et ictericos juvat. Jecur proprietate quadam corroborat; mediocriter somnum inducit." Additque, hanc sedantem vim, a recentioribus neglectam, adfinitate cum lactuca probabilem fieri. Pertinet enim ad tribum cichorearum, e compositis: quae et lactucam et scorzoneram et cichoreum et endiviam comprehendit.

Phoebus mellaginem taraxaci commendat cumque cichoreo a veteribus jungi solere monet.

Mitscherlich in experimenta Delii de mutato per taraxaci succum sanguine citat observationem Ramazzini, de mutata ejus crasi per anni tempora. Ipse minus magnifice de ejus virtutibus sentire videtur.

Jam quaerentibus vobis, cur curatio illa per amara resolventia, quae prius tot habuit laudatores, nunc vix soleat adhiberi, respondeo primum: vivendi genus multum esse immutatum, ut exempla morborum ex hac caussa natorum longe rariora sint; tum morborum chronicorum curam nimis esse taediosam, quam quae sive a medicis, sive ab aegris debite perficiatur et absolvatur; denique, negligi cum veterum studio etiam veterum medendi methodum. Mihi haud raro remedia illa plurimum profuerunt, suo tempore diuque administrata, praecipue taraxacum in connubio cum liquore terrae foliatae tartari et aqua laurocerasi, efficacissima medicaminis formula.

Est autem taraxacum ex amaricantibus mitissimis fereque diaeteticum: hinc tutissimum bilis succedaneum.

MARRUBIUM.

Asthmaticis et phthisicis proficuum censuere veteres et quidem cum melle datum. In abscessu pulmonum successum habuisse, negatur: quod nemini vestrum mirum esse poterit. Magis mirum, quod in duro hepatis tumore ZACUTUS LUSITANUS feliciter adhibuit; *Prax. Adm.* II. obs. 48. Historia sequens est: » tumore diuturno scirrhoso hepatis premebatur nobilis vir, cui nullum auxilium prodesse potuit, licet sudorifica tentasset, uteretur chalybeatis, balnea naturalia admitteret et varia unguenta et emplastra parti apponeret. Hic solum conserva ex marrubii floribus cum melle parata, 40 diebus, quantitate unciae unius diliculo assumpta desuper aqua ebibita, quae ex foliis et radicibus ipsius, vitreis organis, stillat, sanitati integre fuit restitutus: nam sensim et sine sensu emollitus est tumor."

Icterum pertinacem eo discussit FORESTUS, l. 19. obs. 19. *Schol.* obs. 40. Alterius casus FORESTI perbrevis est relatio eaque ad celebrandam curam: in altero ejusdem generis, icterus ex oppilatione cystidis felleae natus dicitur.

Ad menstrua et chlorosin pellenda salubre expertus est Borellus. In blennorrhoeis atonicis pectoris et abdominis laudat Sobernheim.

Caeterum pertinet ad labiatas, et oleum aethereum et principium extractivum amarum, varia proportione, continentes.

Phoebus infus. marrub. unc $\frac{1}{2}$ — viij, theam marrub. atque extract. marrub ℈β — ℈j pro dosi commendat.

Ejusdem familiae est galeopsis grandiflora, quae, notante Richtero, I. pag. 352. pars praecipua est herbarum pectoralium (*Liebersche Brustkräuter*) remedii in Germania domestici plurimumque celebrati. Hujus remedii (galeopsis grandiflorae) in catarrho chronico, phthisin mentiente, efficacitatem miratus sum maximam in viro adulto senescente, qui aliis quibusvis incassum adhibitis, quum servari arte nulla posse videretur, hoc solo remedio perfecte convaluit.

DE AMARIS ET AMARICANTIBUS REMEDIIS UNIVERSE.

Quaecunque sit horum medicamentorum diversitas, eo nomine conveniunt universa, quod proxime digestionem promoveant, legitima dosi sumpta. Ab officina prima igitur ipsorum actio inci-

pit, incitando motum peristalticum et ab hac primaria actione secundariae reliquae repeti debent, cum in reliqua organa chylopoietica: hepar, lienem, mesenterium; tum in reliquas respirationis, circulationis, secretionis officinas. Quodsi ipsum sanguinem subeant, materies extractiva, majori forsitan ad processum oxydationis et secretionis cognatione, utrumque poterit promovere. Concitato motu peristaltico, etiam accelerari motum sanguinis per venas abdominis omnemque circulationem abdominalem, necesse est: ita ut sic quadantenus compensetur motus musculorum deficiens. Dum hoc modo increscit irritabilitas, simul nimius et exuberans reprimitur sensus, ex eo, qui est inter fibram muscularem et medullam nerveam antagonismo. Nec desunt inter haec remedia, quibus praeterea peculiare principium, sensum nervorum obtundens inesse censetur: quemadmodum de quassia et gentiana referunt.

Sunt etiam, quae amara resolventia dicuntur, amaricantia salina: carduus benedictus, fumaria, quaeque reliquis hoc titulo praecellit, taraxacum. Haec salibus, quae continent, mucosam intestinalem stimulant: quo fit, ut alvum sollicitent, tum per amarum principium musculosam, tum per principium salinum mucosam tunicam intestinorum irritando: quocirca minime mirum est, per haec remedia, dummodo rite et diu satis administrentur, posse impetrari morborum chronicorum sanatio-

tiones, quae per amara simplicia impetrari nequeunt.

Sunt, quae cum amaro principio principium amylaceum, aut mucilagineum junctum habent: uti columbo radix et lichen islandicus, quorum alterum blennorrhoeae intestinali, alterum blennorrhoeae pulmonali mederi ex medicorum observatione videtur et hoc insuper, praesertim si cum lacte praebeatur, idoneam suppetere corpori instaurando materiem.

Denique alia sunt, de quibus deinceps aptus erit dicendi locus, quae oleo gaudentia aethereo, nervis amico, cum vita plastica etiam vitam animalem suscitant quorumque vires forsitan usque in systema motorium animale pertinent.

Sic ipsa natura remediorum vires therapeuticas composuit ac diversimode miscuit et temperavit, quod qui observare et imitari noverit artifex, saepenumero fortunate curabitur. Atque hisce positis principiis, amarorum medicaminum in morbis virtutes explicandae sunt.

Primo et principe loco iis medicandis morbis prosunt, quorum prima in ventriculo intestinisque atonicis sedes. Quoniam vero haec atonia raro omnem simul canalem cibarium aequabiliter tenet, si ventriculus infirmus est, infusa aut decocta praestabunt; si intestina, extracta, aut pulveres, aut pilulae.

Tum gradus etiam discernendi sunt: ab amari-

cantibus: taraxaco, fumaria, carduo benedicto, ad centaurium, gentianam, quassiam, amara pura scilicet, facto transitu.

Porro corporis, cui admoventur, conditio spectanda. Nam in plethora abominali, dum caetera congestionem augerent, et orgasmum, taraxacum solum juvare poterit et leni amaritie et particulis salinis: nonnumquam etiam graminis dulcedine temperandum. Quodsi praeterea sensus obtundendus sit, cum iis sopientia miscenda: lactucarium, aqua laurocerasi, aut similia. Sin major in mucosam secernentem requiratur pharmaci efficacitas, copulanda salina: liq. terrae foliatae tartari, tartarus tartarisatus, tartarus boraxatus caet.: quorum haec menostasiae simul respondebit, ut prior urinarum fluxui parciori.

Icterum remediis illis fuisse sublatum, intelligitur, si ad hepatis et intestinorum cognationem, si ad circulationem abdominalem torpentem, si ad constitutionem venosam adtendatur: nec difficulter perspicitur, in podagram et arthritidem et calculosam diathesin potestas, quae si plethoram et congestiones venosas cogitemus, facile concitandas, simul intelligi poterit prudentiorum medicorum in amaris praescribendis parsimonia: quae in sola atonica podagra et arthritide, etsi subinde profuerint, ne tum quidem indiscriminatim praescribenda erunt.

Tandem in morbis cutaneis tum praecipue suum

invenient locum, cum ex ventriculo intestinisque atonicis profecti fuerint, praegressa, siquidem opus fuerit, alvi purgatione ac lotione, sicque mundata cute interna; quod eo magis tenendum est, quo saepius evenit, ut propter hoc monitum neglectum, impurae accendantur phlegmasiae, systema cutaneum consensu inflammantes atque impetigines provocantes et graves et perquam rebelles.

In cachexiis: scorbutica, scrofulosa, chlorotica non multum bonae frugis promittunt, nisi cum hisce composita fuerit viscerum chylopoieticorum atonia. Pluris facienda sunt in morbo verminoso, quae crebro morbum scrofulosum aut praecedit, aut comitatur, aut sequitur, in connubio aliorum remediorum sive purgantium, sive anthelminticorum.

ADSTRINGENTIA.

Acidum tannicum (principium coriarium) et acidum gallaceum duo principia sunt, unde adstringentium vires therapeuticae repeti debent. Ipsa autem vel indigena sunt, vel exotica. Videamus de nonnullis iisque primariis.

HEDERA TERRESTRIS.

Hedera terrestris, glecoma hederacea, nobis ab amaris ad herbas adstringentes transitum facere videtur, utriusque generis vires possidens. In tussi gravi et pertinaci, in phthisi ex haemoptoë, in exulcerationibus pulmonum laudibus extulerunt Willisius, Mortonus, Ettmullerus, adsentientibus Sauvagesio et Murrayo; quorum hic:" memini, refert, in Suecia cognati cujusdam, qui pus verum exspuerat, succo ejusdem cum sero lactis vel lacte mixto, juncta equitatione, potissimum curati. Equidem pluries addidi pro phthisicis ex ulcere aliis herbis in infuso theaeformi, conserva rosarum loco sacchari edulcorato, non sine fructu, sed in comi-

tatu reliquorum subsidiorum." Ego hac herba sanavi rusticum et puellam, laxo corporis habitu, ingentem copiam sputorum ichorosorum quotidie expectorantem, addito pulv. saleb et syrupo demulc.

Gaudet, referente DIERBACHIO, principiis aromaticis, amaris, adstringentibus mihique in phthisi tam pituitosa, quam scorbutica praesertim probatur, sive in specie pectorali, sive in infusione cum gummosis praescribenda. Est ex familia labiatarum cum veronica, galeopsi, cael. herbis pectoralibus.

QUERCUS ROBUR.

Ex amentaceis. Corticem principio coriario abundare: in laxitate intestinorum, dysenteria, diarrhoea, rhachitide, scrofula, intermittentibus, tamquam succedaneum corticis peruviani, usurpari; praestare tamen usu externo hocque solo superesse: praeterquam glandes tostas, ex quibus coffeam parare docuit HUFELANDUS, scrofulosis pueris idoneam: hasce autem oleo empyreumatico prodesse, scriptores de re medica notarunt.

CORTEX ULMI CAMPESTRIS.

Antea in morbis cutaneis chronicis iisque gravissimis, pertinacissimis: herpete, lepra, ichthyosi percelebre fuit. Experimenta clinica facta a pro-

fessore Edinburgensi FRANC. HOME successu caruerunt, cff. *Clinical Experiments* pag. 407 sqq. In quae experimenta animadverti posset, non satis diu fuisse adhibitum, qua lege et conditione non tam inefficacem fore ac multi perhibent, RICHTERUS auctor est. Sic autem, firmato corporis habitu, prodesse crediderim, quod ab aliis etiam remediis adstringentibus tonicis posset effici.

SALIX.

Ad febres intermittentes, loco corticis peruviani, tamquam febrifugum ex eaque paratum salicinum proposuerunt. His tamen minime par expertus sum saepenumero.

In ulcere noma plurimum celebrat Cl. VOLTELEN ob vim antisepticam I. pag. 291. » Ulcus illud noma putridum (sunt verba VOLTELENI) quod per pueros junioresque ac scorbuti habitus homines aliquando fere epidemice grassatur, collutoriis ex decocto salicis, vel litu ex ejusdem extracto, melle rosarum excepto, felicissime sanatum vidi, quamvis late serpsisset ipsaque ossa penetrasset; quale exemplum probe memini puellae octo circiter annorum, cui destructa sinistra maxilla inferiore, sphacelatis oris interni partibus, benigno naturae auxilio hujusque remedii adjumento, nova sensim sensimque renata est maxilla, priorem carie exesam, foetidissimam, paulatim protrudens, ut dein

levi manu separari potuerit, dentibus tum alveolos jamjam egressuris."

Ipse, quamvis tam mirabilem remedii vim non expertus sim, tamen in hoc morbo aliisque scorbuticis adfectibus cognovi efficacissimam.

Efficacitatem augent addita acida mineralia, auctore PHOEBO. HAYNE animadvertit ex salice pentandria et fragili cortices peti.

CATECHU.

Omnium adstringentium mitissimum, in blennorrhoeis, praecipue intestinalibus, salubre et in fluxu dysenterico senum, cum aqua, laudatore ALIBERTO. Nec minus efficax, quam ratanhia, quam hodie mos fert praescribere, teste VOGTIO, in haemorrhagiis, profluviis, blennorrhoeis atonicis: vis ab acido coriario (tannico) est, quod in urinas transit (DIERBACH).

Ad cinchonas accedere et propter partes gummosas melius tolerari, scribit SOBERNHEIM. In odontalgia laudat PHOEBUS.

Parca dosi digestionem acuere et in chronicis blennorrhoeis post debellatam phlogosin juvare testatur MITSCHERLICH: quod quidem ex mea experientia praecipue de blennorrhoea pulmonum et intestinorum: itaque de catarrho chronico harum partium praedicandum est.

CORTEX PERUVIANUS.

Est remedium, cujus dubia historia dubiaque origo, indubia vero virtus et efficacitas. An ab animalibus, an a barbaris medicinam hanc didicerint homines, anxie alii quaerant, nobis sufficiat, fata remedii recolere, quod omnem reformavit pyretologiam: quae fata, cum ignorent recentiores, eruditionem spernentes, factum est, ut haec therapeutices medicae pars negligenter tractaretur, quaeque SYDENHAMI, MERCATI, TORTI temporibus subtiliter et adcurate discernebant medici, jam discernere aut nolint, aut nequeant: hac in re antiquioribus peritia prudentiaque cedentes, non sine magno scientiae medicae opprobrio atque aegrotantium damno.

Quo primum in Europam invectus est hic cortex: erat seculo XVII, magnos acerrimosque nactus est adversarios; deinde vero, defervescente illorum impetu, principis febrifugi famam nactus est eamque ita tuetur, ut non tantum intermittentes vulgares, sed continuas proportionatas, sive periodicas et comitatas, quas vulgo, ast minus apte, larvatas vocant, verbo cunctas ejusdem familiae neuroses certo ac tuto profligare repertus sit, atque detectis in eo alcaloideis, quo principio febres et neuroses hasce fuget, jam intelligatur.

Nolo repetere, quae de corticis hujus historia adnotarunt antiquiores de materie medica scriptores: viri cl. MURRAY, VOLTELEN, alii, quae in historia sua pragmatica tradidit erud. SPRENGEL quaeque ipse in libro de *Art. Med.* scripsi. Illud inprimis hoc loco mei officii esse arbitror, ut nuperorum de materia medica auctorum sententias ponderem. Videamus igitur de iis, quae nuper VOGT, RICHTER, SOBERNHEIM, MITSCHERLICH, DIERBACH de hoc argumento scripto consignarunt.

Itaque VOGT in toto demum cortice vim hujus remedii eximiam esse positam, contendit: ipsum vero specificum febrifugum jure dici non posse. MITSCHERLICH alcaloidea: chininum et cinchoninum supparis virtutis ejusque febrifugae habet. Praeter haec principium coriarium, quo abundat, reliquas virtutes continere, tonicas illas, digestionem et contractiones promoventes: esse autem duo isthaec principia in ratione contraria, ut quo alcaloideum abundantius sit, eo parcius sit adstringens, crescente cum illo vi febrifuga, cum hoc vi tonica. DIERBACH denique triplex principium distinguens: alcaloideum, aromatico-amarum atque adstringens, ex triplici hocce principio ipsius dotes repetit: per alcaloideum nempe cinchonas esse praecipuum remedium intermittentium, cum febrilium, tum aliarum: per amaritiem aromaticam esse amaris tonicis adfines iisque haud raro superiores: per principium coriarium adpropinqua-

re ad ea, quae adstingentium nomine vocantur. Ex hisce pretium speciebus singulis esse statuendum: pretiotissimam quidem regiam et alcaloideo et grata amaritie insignem; acido tannico copiosiori praestare rubram, sed eo gravius subigendam: utrisque intermedias esse fuscas et griseas, alcaloideis varia admodum ac mutabili proportione gaudentes.

Hisce praepositis, videamus, quatenus cum relatis virorum doctorum sententiis medicorum observatio et experientia consentiant.

Historia remedii docet, primo ad intermittentes febres fuisse adhibitum, tum ad ejusdem familiae remittentes et neuroses periodicas, denique ad morbos alios ex atonia, debilitate, inanitione natos: ad coërcendas nimias secretiones, excretiones: suppurationem, dyscrasiam scorbuticam, gangraenam, cachexias caet. Febres debellant medici intermittentes et ex intermittentium familia, etiam neuroses intermittentes periodicas alcaloideis, praecipue chinino sulphurico: atoniam viscerum corrigunt tincturis, sive composita illa Whyttii, sive Huxhami, sive alia: suppurationes, gangraenam cohibent, dyscrasias, cachexias emendant totius corticis decocto, sive aliarum cinchonarum, seu quae reliquis, dummodo bene ferant digestionis instrumenta, praestat, cinchonae rubrae.

Quod autem alcaloidea isthaec minus sanguinis, aut viscerum morbo, quam nervorum medeantur,

indicat eorum in frigus febrile inque larvatas, sive neuroses intermittentes oppugnandas efficacia. Hactenus igitur VOGTIO adsentiendum videtur, non esse specificum febrifugum: neque incongruum fortasse foret, ad sanguinem miasmate impraegnatum depurandum, acido quodam fossili, hydrochlorico, sive muriatico diluto uti, in corticis hujus connubio: cujus compositionis vim, qui experiri cupiant medici, non inertem reperturi sunt: aliorum saltem acidorum mineralium, praecipue acidi sulphurici, jam pridem fructuose experti sunt. Nec reticendum, recursum febrium, quem crebro dolent, sic posse praeverti; tum inprimis, cum per integri corticis usum cachexiam febrilem legitima curatione correxerint.

Salubritatem corticis in suppurationibus nimiis, gangraena, morbis putridis, scorbuto, morbo maculoso haemorrhagico, cachexiis et aliis, et scrofulosa praesertim, cognorunt cum medici chirurgi, tum alii: quapropter referre ad testimonia, quae collegerunt, inter antiquiores MURRAY et VOLTELEN, inter recentiores SOBERNHEIM et RICHTER sufficiet.

De corticis denique hujus ex eoque paratorum remediorum administrandorum ratione PHOEBUS vos docere poterit, optime de hac medicinae practicae parte meritus.

Pertinent cinchonae ad rubiaceas, quae comprehendunt coffeam (adhibitam ut febrifugum DIER-

BACH pag. 185) ipecacuanham caet. Ab una parte stant cinchonae cum chinino, ab altera psychotriae cum emetino, intermediis exostemmatibus, in quibus vires emeticae et febrifugae conjunctae sunt, ibid. pag. 190 sq.

FOLIA UVAE URSI.

Arbuto uvae ursi magnam famam conciliarunt experimenta illustr. DE HAEN in adfectionibus calculosis. VOLTELENO videtur opem praestare, tum vi adstringente, sabulum citius expellendo, tum partes sensiles adversus stimulorum impetus muniendo.

RICHTERO notante, veteres in hydrope atonico ea usi sunt. VOGTIO tamen adsentiendum, raro germanam prostare. DIERBACH opinionum discrimen de hujus plantae viribus medicatis animadvertens, addit, in aliis quoque ericeis vim diureticam et lithontripticam celebrari.

PHOEBUS ejus principia esse acidum tannicum, acidum gallaceum et principium extractivum, amarum, notavit.

DE REMEDIIS ADSTRINGENTIBUS UNIVERSE.

Emollientibus opposita, tonicis amarisque ad-

finia, adstringentia partium viventium tonum augent et contractionem ideoque prosunt, relaxato corporis habitu, sanguinis, muci, aliorum humorum concitatis profluviis atonicis.

Chymica ratione agere resorbta; et per urinas e corpore excerni principium coriarium et cum elementis organicis varia inire connubia, per experimenta didicit celeb. MITSCHERLICH. Agunt in mucosas, in sanguinem inque ipsam carnem muscularem. Nec tamen omnium par in singulis morbis potestas. Ad blennorrhoeas pulmonum, intestinorum, genitalium leniora adhibent, inprimis catechu, quod mucilagineis hoc consilio apte jungitur. Quaerentibus, cur non semper expleant medici expectationem horum medicaminum effectus, respondendum est, quia nimis empirica adstringentium administratio est. Universe tenendum, in climate nostro catarrhorum genera vulgaria duo esse: alterum blennorrhagiarum, sive inflammatorii generis; hi catarrhi hyberni, vernales, regnante borea; blennorrhoearum alterum, generis atonici, tempestate austrina, humida, autumnales illi; chronici etiam habituales corporum senescentium, phlegmaticorum. Jam uti in genere priori mucilaginea, demulcentia proderunt, ita in posteriori proderunt tonica, adstringentia, in aliis alia, alio alioque modo praescribenda.

Praeterea ad morbi quoque naturam sive simplicem, sive compositam diligenter animadverten-

dum est. Nam cum raro sola debilitas accusanda, crebrius peculiaris subsit dyscrasia: scrofulosa, arthritica, syphilitica, alia, ecquid mirum, fallere medicinam, ob naturae morbi ignorantiam. Porro diaetae neglecta observantia, aegrotantium impatientia, medicorum in mutandis formulis levitas multaque alia faciunt, ut spes frustretur et malum curabile non auferatur. Nec omittenda incongrua compositio, aut minus adcommodata remedii dosis.

Ad dyscrasias emendandas laudantur potissimum salix et cinchona, quae ita differunt, ut in priori vis antiseptica praesertim emineat, scorbuto, gangraenae, profluviis refraenandis idonea, in posteriori cum hacce nervina cardiaca copulata sit, quae neurosibus compescendis aptior. Prioris virtus antiscorbutica non tantum per acida fossilia addita, verum etiam per radicem acori sive calami aromatici mirifice augetur, quo simul stomachus facilius tolerabit. Posterioris nervina, quae dicitur, virtus per analeptica increscit: de quibus postea dicetur.

De compositionibus in dyscrasiis et cachexiis reliquis: arthritica, syphilitica, alia, hoc loco dicere nil adtinet.

Efficaciter quoque varia adstringentia copulantur, vel amaris junguntur tonicis, quorum compositorum medicaminum exempla obferunt tincturae e cortice peruviano paratae, inter quas excellit tinctura composita Whyttii, praestantissima re-

medii formula, hypochondriacis ante alios aptissima.

Praeterea cum emollientibus haud inepte componuntur: gummi arabico, althaea, lichene carachenico, islandico, quae atrophicis, hecticis, quando ejusmodi remedia requiruntur, apta compositio adstringentis remedii vim corrodentem obtundit simulque corpori extenuato materiam praebet reparandae jacturae idoneam.

ACRIA.

SENEGA.

Primo in morsu serpentis a Pensylvanis expertam vim cognitam fecit medicus Scotus TENNENT. Deinceps convenientia symptomatum ad inflammatorios pectoris morbos transferendi usum senegae, hunc medicum permovit, vena prius secta. Cujus judicio praecipua vis est in mutandam sanguinis crasin. Eodem nomine postea praedicavit SARCONE in febre rheumatica et pleuritide. In hydrope cum alio, tum pectoris profuit, referente PERCIVAL, *Essays* I. pag. 390. Et in rheumatismo, teste eodem. Chymia in ipsa detexit peculiare acre *seneginum*. Botanice polygaleis adnumerat, in quibus permagna est virtutum medicatarum, in ipsa radice, discrepantia: siquidem comprehendunt remedia tonica, amara, resolventia, diuretica, emetica, narcotica, adstringentia, aromatica, ut, rem indicante DIERBACHIO, ab adfinitate naturali vegetabilium nulla sit certa ad virtutes medicatas conclusio; neque etiam reagentia chymica ad rem ex-

plorandam sufficiant: verum examen ad lectulos aegrotantium solum hoc possit. Illud autem si consulamus, videtur senega ex iis esse remediis, quae cum in sanguinem, tum in lympham mutandam efficacia sunt, ut haud immerito celeberr. ophthalmologus AMMON, in morbis oculorum sanandis vim praedicans, *calomel vegetabile* vocaverit: qua certe denominatione remedii hujus characterem therapeuticum optime expressisse videtur.

Corrigentia illius esse rad. glycyrrh. glabr. vel pulv. gummos. observat PHOEBUS, aut formula decocti, aut pilularum. Efficax quoque connubium cum sale ammoniaco, sapore tamen, quod dolendum, ingratissimo.

ARNICA MONTANA.

Ex medicina domestica prodiit: ob vim in effusionibus et sugillationibus sanguineis panacea lapsorum dicta. In neurophlogosi, pulmonum paralysi et aliarum partium (amaurosi) tandem in febribus typhosis laudatur et morbis nervorum organicorum, splanchnicorum, in diarrhoeis denique et dysenteriis, quo fine radix praeponi solet.

Ipsos autem nervos potenter incitat, quemadmodum testantur sensus formicationis, dolores lancinantes, urentes, succussiones quasi electricae.

VOGTIO intermedia inter aetherco-oleosa et acria

habetur, utriusque generis virtute conjuncta: quo connubio nervi plastici et capillaria potenter irritantur, principio acri principium aethereum ad sphaeram plasticam detrahente nervosque et arterias, venis ac lymphaticis oppressos somnoque tamquam sepultos stimulo suo animando atque ad energeiam vitalem evocando.

Itaque flores, quorum stimulans vis major, in adfectibus nervorum paralyticis, radix, quae tonica virtute excellit, in dysenteria potentior efficacitate celebratur.

TABERNAEMONTANUS in Saxonia ad contusiones sanandas usurpari scripsit. Seculo XVI haec planta pro DIOSCORIDIS alisma haberi coepit, cujus virtutes antidysentericas etiam ab illa exspectabant: ex quibus, interprete DIERBACHIO, rudimentis et initiis hodiernae notiones pharmacologicae de viribus ejusdem therapeuticis enatae videntur.

PHOEBUS tam florum, quam radicis praescribendae modum exposuit (*). De usu radicis in dysenteria ex antiquioribus medicis consulendus est MAX. STOLL.

(*) Ipse melius syrupo corrigi, quam gummi monet. Equidem althaeae syrupum praefero. Formulae Hornianae nimis Brownianismum redolent. Dos. dr. ij — unc viij colat. sufficit.

An strychninum continent?


image
not
available

Historias epidemiarum inter se comparantes videbitis, dysenteriam, in qua ipecacuanha profuit, fuisse autumnalem et quemadmodum in hac evacuans, sic in vernali dysenteria magis antiphlogistica medendi methodus proderat, rem diserte monente PRINGLIO, medico castrensi experientissimo. Profuisse autem inprimis morbi initio, ex RICHTERI etiam testimonio, censetur.

Primi auctores pleniori, posteriores, PRINGLIO duce, refractiori dosi usi sunt: interposito interdum opio, quod tamen caute, nec nisi suspensa manu porrigi debet omnibusque prius rite ponderatis (*).

Postea ad ciendum vomitum in febribus gastricis datum, sive dysentericis illis, seu non dysentericis: de quo utendi modo bene praecipientem adeatis VOLTELENUM, in *Pharmac. univ.* II. pag. 302 sq. Ab usu in alvo dysenterica cruenta in aliis quoque haemorrhagiis utilem fore ipecacuanham medici augurati sunt: quamobrem ad haemorrhoidum, catameniorum fluxum, uteri haemorrhagiam, pulmonum etiam, adhibuerunt, parca dosi gr. $\frac{1}{4} - \frac{1}{3} - \frac{1}{2}$ saccharo mixta: inque ipso mictu cruento (MURRAY l. l. I. 537 sq. et THILENIUS, *Bemerk.* pag. 148 sq.) Ut antispasmodicum praeterea ad asthmatis paro-

(*) Sic medicaminum dotes pariter et doses continua traditione continuoque usu magis et magis adcurate cognosci, circumscribi et definiri coeperunt.

xysmum solvendum, ad nervos sopiendos, ad opii vim cicurandam adhiberi coepit. Denique in tussi quinta (VEIRAC) in catarrho pulmonum, in spasmis intestinorum, hernia incarcerata spasmodica, ileo, vermibus intestinalibus uterique spasmis. De asthmatis per eam curatione docet MURRAY: sub paroxysmo capi ℈j, qui vomitum excitat, multo levamine. In chronico et habituali morbo conferre tria ad quinque vel decem grana, mane per 4 vel 6 hebdomades ingesta. Grana 5 plerumque sequi emesin, quae si per minorem dosin non insequatur, perinde esse: unde antispasmodica vel relaxans natura tanto manifestius evincitur, ex sententia illius, qui commendavit, medici Angli AKENSIDE. In tussi quinta ante alios laudavit nostras VEIRAC et quidem tamquam vomitorium, in morbi principio. In herniis et ileo enematis forma profuisse, auctor est RICHTERUS. Morbo verminoso, alvo fluente potissimum, indicabitur.

Has dotes ita interpretantur chymia et botanice, ut illa indicet proprium alcaloideum, *emetini* nomine dictum et pauxillum acidi gallacei in radice latentia; haec rubiacearum familiae plantam adnumeret, quarum plures vomitum ciendi, plures adstringendi potentia gaudent: quibus subjungit pharmacodynamice, hoc unicum esse acre antispasmodicum, quod irritando plexum solarem et nervum vagum a cerebro derivat, hinc sopit: juvare igitur, ubicunque nervi animales nimium ir

ritati sunt; tandem acrimonia sua ipsam alterare vitam plasticam.

Componitur cum aliis medicamentis: emeticis, purgantibus, acribus, adstringentibus, nervinis, stomachicis, visceralibus, vario consilio, cf. PHOEBUS II. pag. 435 sqq. Laudatur hoc loco copula cum tartaro stibiato, qua ingrati remedii dosis fit compendium. Cum opio facit percelebrem anodynum, pulverem Doveri, cujus formulam perscripsit erud. Jo. ANDR. MURRAY in *App. Medicam.* II. pag. 298; quae formula haec est:

℞ Nitr., Tart. vitriol. āā ʒiv
In crucibulum candens injecta agita
donec deflagratio et scintillatio desinat.
Add. Opii concisi ʒj et in pulverem
redige adjiciendo Rad. Glycyrrh.
Rad. Ipecacuanh.
subtiliss. pulver. āā ʒj.
m. probe.

Ipecacuanhae multiplicem usum ante alios exponit med. Anglus DAV. MACBRIDE, cf. *Introductio method. in Theoriam et Praxin Medicinae.*

Dosi ϑj praescribitur, aut ϑβ si cum tart. stib. gr. j adhibetur. Pro infantibus dosis remedii erit gr. j—iij. Elegans formula est cum catechu, quam sub n°. 885 proposuit PHOEBUS l. l. et sequens RICHTERI: utraque ad dyspepsiam atonicam commendabilis, delicatis etiam mobilioribusque apta. Minus laudanda BERENDSII, n°. 900 tradita, quam

sic mutatam cuperem, ut sive infusum, sive vinum ipecacuanhae pro pulvere praebeatur.

Caeterum in connubiis ne negligatur pharmacodynamia, quando successus speratos res habitura sit: contra quam haud minus crebro peccare medici solent, quam contra chymiam, aut pharmaciam. Cum purgantibus si praescribatur, rheum seligendum est. Neque oleosa, nec resolventia, quae vocantur, cum ea consonant, nec diuretica, neque acida, aut alcalia: nisi terrestria hoc nomine dicantur. E tonicis cort. aurant. apte cum ipecacuanh. copulantur, e nervinis g. as. foetid., ex acribus iris florent., ex oleis aethereis ol. foenic. In doloribus colicis sive enteralgia saepius utiliter praescripsi pulveres ex ipecac. refr. dosi pulv. terrestr. gummos et elaeosacch. foeniculi. Minus laudanda videtur copula cum sulph. aurat. antim., cum oxyd. zinci., cum oxym. scillitico.

RHEUM.

Graecis Latinisque an cognitum fuerit rheum, dubitatur. Arabes vero nostrum rheum adhibuisse, vero perquam simile est: cf. GEIGER II. pag. 383. Quo utimur, sub nomine Chinensis, aut Indici, ab rheo Australi est (GEIGER pag. 380, HAYNE XII, 10.) Experimenta facta, ad ejus culturam extra patriam relata sunt in *Medic. Obs. et Inq.* Vol. VI.

praef. pag. 6. Sanguinem subire, manifestant lotium et sudores eo tincti et lac puerperae ejus usu luteum et amarum factum. Purgans subacre est, quod ventriculum roborat: id incommodi secum vehit, quod si solum capitur, post effectum tunc praestitum, adstringendi sua vi plerumque alvum obseret. In febribus tamquam calidum et siccum reprobatur. MURRAY *App.* IV. pag. 390. Nec haemorrhoidariis conducit, LENTIN *Beobacht.* pag. 162. Si nihil urget, sub noctem ingeratur. Nonnulli somniferum habuere (FORDYCE, LENTIN). In dysenteria omnium purgantium selectissimum declarat DEGNERUS, contraria sentiente TRALLESIO.

Ne miremini, de praestantia medicaminum tantam esse inter medicos opinionum discrepantiam, monendum est, alia alio tempore salubria, aut noxia fore. In morbo gastrico salubris ipecacuanha primum, deinde ventriculo infirmo, cuncta vomitu rejiciente, ubi per inferiora evacuandum est, rheum. Nec tamen salubre in morbo phlogistico, aut bilioso. Eo nomine quidem peccabant antiquiores, quod ab adstringente et ipecacuanhae et rhei virtute in alvi fluxu dysenterico opem sperabant, quae, sublato stimulo, duntaxat speranda est. Verum non minus peccant recentiores, quod in dysenteria inflammationem spectantes unam, solo adparatu antiphlogistico pugnandum esse arbitrantur. Est inflammatio illa utplurimum impura, quae rectum praesertim, aut saltem crassa

sola occupat et cum statu opposito in superiori ventriculo tenuique intestino potest esse conjuncta et est saepenumero. In quo casu restitui per ejusmodi remedia turbatum in canali cibario inter intestinum crassum et tenue aequilibrium, evacuato simul stimulo, poterit. In fluxu hepatico, quo jure polychrestum remedium dixerit TRALLES, non satis intelligo: siquidem sententiam suam non explicuit, nec notio hujus fluxus satis definita est (*).

Stomachicum esse et stomachicis optimo successu addi, auctor est MURRAY, IV. pag. 399, quod egregie interpretatur pharmacodynamice, indicando regionem ventriculi, duodeni et hepatis, tamquam praecipuam sedem ejus actionis, quam in vitam systematis stomachico-hepatici dirigi conjicit VOGTIUS I. pag. 674 sqq. qui de hujus remedii cognitione therapeutica omnium optime meritus est.

In diabete et pridem et nuper adhibitum legitur. VOLTELEN II. pag. 336. MURRAY IV. pag. 400 sq. etiam in haematuria. RICHTER *Suppl. B.* pag. 211, recte tamen notante MURRAY, magis purgandi consilio: quamquam RICHTERI interpretatio stases sanguinis venae portarum tollendo prodesse ex diabete et haematuria aegrotantibus probanda videtur. Is in cardialgia cum vomitu aquae, aliis tamen et

(*) Fortasse ex antiquiorum medicorum opinione, aut ex notanda continuo illius in duodenum actione: ut laudes remedii per pharmacodynamicen explanari debeant.


image
not
available

norrhoea vaginae: in hydrope etiam cum diarrhoea symptomatica, Werlhof *Opp.* pag. 750.

Cui observationi addit Tissot: in hydrope atonico convenire remque exemplo firmat hocce: » feminae, quae inepte aquas minerales nimia dosi potaverat, indeque in diarrhoeam, debilitatem, anasarcam inciderat, rhei scrupulus unus mane et vespere per quindecim dies deglutitus morbum dissipavit; residuam ataxiam limatura martis cum cinnamomi quarta parte mixta vici; optime convaluit."

In menostasia atonica, uti jure commendavit cl. Jörg, ita ab hoc remedio abstinendum esse in gravidis ad abortum (*) proclivibus intelligimus, nec miramur abortum concitasse.

Verum quaeso, ne hisce praeconiis abducamini in eum vulgi errorem, ubicunque purgandum est, rheum ante alia seligendum esse. Nam longe abest, ut panaceam, aut catharticum universale haberi possit.

Rheum in morbo mucoso non bene porrigi, atque adeo male panchrestum remedium nostro aevo laudari et aegrorum cubicula rhabarbaro resonare, monuerunt Roederer et Wagler. Quod monitum sic optime interpretari poteritis, si quae de febre pituitosa, sive mucosa in libro *de Arte Medica* inque altero *de Historia Morborum* praecepi, animo perpenderitis cumque hisce Volteleni: » maxime

(*) Lentin *Memorab.* pag. 90.

conducit laxis, humidis, pituitosis, acido laborantibus: et generatim in primarum viarum affectibus, ex cruditate acida, mucosa, verminosa, fibrarum atonia bilisque inertia oriundis." Unde efficitur, quibus tam aegris, quam morbis repugnet. Nec reticenda hoc loco THOMSONI observatio est: ex idiosyncrasia suscitasse epilepsiam.

In hujus medicaminis historia idem, quod in historia ipecacuanhae adparet, tractu temporis melius semper et enucleatius cognitum fuisse legitimum administrandi modum.

Pertinet planta ad familiam polygonearum. Principia, quibus instructa est radix, sunt rheinum, sive acidum rhabarbari, principium amarum, et coriarium, sive acidum tannicum.

Varius administrandi modus est: in pulvere, infusione, vino, tinctura, pro vario, quo praebetur, consilio.

Corrigentia optima sunt oleum macis, aqua cinnamomi, aq. menthae, subinde etiam aetheres.

Dosis purgans est ℈j — dr. ½. In infus. dr. j — ij ad unc. vj.

Componitur cum mercurio, magnesia, pulv. lap. cancr., amaris, praesertim flaved. cort. aurant. Formulam vid. ap. PHOEBUM, II. p. 443. N°. 910. Minus mihi probanda videtur formula praecedens, ibid N°. 909.

Caeterum de compositis ex eo medicamentis saepius infra dicendi erit locus.

ALOË.

Dioscorides inter alias dotes, aloën alvum solvendi vim habere, stomachum repurgandi et morbum regium curandi aliisque purgantibus admixtam facere, ut minus stomacho noceant, scripto consignavit. Aretaeus bilem ducendi vim commemorat inque insania sacrum vocat medicamentum. Caelius Aurelianus ad icterum; ad hunc et stomachi vitia et hydropem, Musa Antonius; ad vermes, Scribonius Largus proficere scribunt: quibus si addamus virtutem emmenagogam Swietenio notatam et haemorrhoidum fluxum movendi potestatem, habebimus, quae de aloës viribus therapeuticis passim occurrunt apud antiquos, uno sub conspectu posita. Quae quidem sic interpretantur recentiores, ut purgantes in parte gummosa, emmenagogas et haemorrhoidum fluxum concitantes in parte resinosa latere contendant. » Quae, quamvis verissima sint (ita Voltelen l. l. II. pag. 391, in nota) ex observatione tamen practicorum fide dignissimorum ad haemorrhoides visibiles earumque dolores leniendos persaepe profuisse pilulae sequentes compertae sunt: ℞ G. Ammon. Limat. mart. rec. āā dr. j. Aloës puriss. dr. β. m. f. pilul. gr. v. S. m. 3. et v. 2."

Notavit Richterus, in rectum, venas haemor-

rhoidarias, menstrua agere, adhiberi in habituali obstructione alvi, in stasi in portarum vena, in stasi lymphatica, dyspepsia, arthritide chronica, helminthiasi, scrofulosi, melancholia, ad ascarides: in colica praeterea et ictero. Quae ut rite intelligantur, notare oportet, pharmacodynamicen ipsi quoad dotes medicatas locum adsignare rheo proximum, a quo tamen ita differt, ut non ad regionem ventriculo-duodenalem, verum ad colicam regionem et recti magis pertinere ejus actio videatur.

Hujus remedii quo crebrior abusus est, eo circumspectius debet praescribi, quocirca regulas statuamus, ad quas dirigi ars in ipso administrando debebit.

Est in aloë principium amarum, aloïnum, hinc purgans; est principium resinosum, hinc irritans est, praecipue recti intestini: si purgandi potestas quaeratur, extr. aloës gummosum, si irritandi, tincturae aloës praescribi a medicis solent.

Similiter, atque amara alia, motum peristalticum intestinorum incitat bilisque inertiae medetur. Ab hisce differt potentia peculiari in rectum et uterum, qua plures abusi sunt et adhucdum abutuntur, ad menses et haemorrhoides pellendas. Est remedium calidum, junioribus symptomata febrilia concitans, ventris ardorem, siccitatem, obstructiones. Aetate provectioribus, phlegmaticis, torpentibus aptior medicina est. Bilis secretionem et excretionem sollicitat, alvi inferioris motum ac-

celerat. Sic digestionis ultimam paginam absolvit intestinique crassi contractiones coördinat, inque pelvim sanguinem allicit.

Quodsi ex hisce dotibus aloës virtutes therapeuticas repetamus, perspiciemus, cur neque omnibus idoneum catharticum, nec semper tutum emmenagogum, neque haemorrhoidariis cunctis adcommodatum medicamentum. Nam biliosis, cholericis, siccis venenum est: pariter virginibus plethoricis, aut feminis aetate climacterica, in quibus damnavit plurimum prudentissimus medicus Jo. Fothergill, *Med. Obs. and Inq.* T. V. pag. 173 sq. Ad haemorrhoides provocandas abusi snnt plurimi, ex quo tempore placitum Stahlianum de salubritate hujus profluvii medentium mentes occupavit. Qui fluxus, etsi naturae beneficio interdum utiliter movetur, vix tamen ab arte, sine gravi incommodo, moveri poterit: saepius etiam frustra tentabitur idque non sine magno aegrotantium damno.

Nam ut raro abest congestio venosa, sic hanc leniora purgantia, aut resolventia et hirudines ano admotae tutius tollent, quam aloëtica isthaec stimulantia. Suppar judicium esto de arthritide chronica, de colica, de melancholia: quibus nisi manifesta subsit atonia, mederi non poterit. In ictero atonico, ex bilis inertia, poterit prodesse, et in scrofula mesenterica adultorum; etiam ad ascarides expellendos Caeterum infantili, puerili, juvenili aetati minus adcommodata medicina est.

Ex quibus quidem principiis numerosa ejus praeparata composita cum myrrha, croco, rheo, acidis, spirituosis, dijudicabitis: extractum gummosum, tincturam sacram, elix. proprietatis, pilulas Ruffi, extractum catholicum, unguentum arthanitae etc. quarum nonnullas suscepit PHOEBUS II. pag. 34 sq. l. l.

PEREIRA num provocet aloë bilem sicque purget, dubitat. Potius actione in venas purgare sicque etiam efficax esse cuti admota ipsi videtur.

Liliaceae plures obferunt familias distinctas. Asphodiliis succus amarus, resina et fecula est — Ex ipsis sunt scilla maritima, allium, aloë. DE CANDOLLE. 204 Aloïnas distinxit DIERBACH (320). De Liliaceorum diversitate et adfinitate Cf. GEIGER *Handb. d. Pharmacie* II B. pag. 177. 1 Liefer.

SENNA.

Mohammed improbans purgationem alvi per tithymalum (euphorbiam) ei, ceu nimis acri, substituit aliam ex sena, ita REISKE *Miscellan. Med.* pag. 35. Hinc verosimiliter creber ejus usus inter Arabes medicos. Tormina, sed male a stipitibus repetebant. Adhibebant antiquiores folliculos, seu fructus sennae, in quibus minori copia inest principium proprium cathartinum, unde vis purgans pendere videtur. Coctione nimium resinae solvi-

tur, quo acrior fit. Praestat Alexandrina, ob vim irritantem phlegmaticis, verminosis, scrofulosis aptior. Cum cremore tartari hydragogum habetur, cum sulphure haemorrhoidariis praescribitur. Optima forma est electuarii, aut infusi. Parca dosi tamquam alterans, aut irritans plexum splanchnicum utiliter praescribi posse, nonnulli voluerunt.

A RICHTERO usus in partu tardiori commemoratur, *Suppl. B.* pag. 213. PEREIRA purgare etiam monet, in venas injecta, aut per lac nutricis. Componitur cum manna, tamarindis, cassia, aut seminibus calidis. Ejusmodi compositum obfert elect. senn. cum pulp. Purgans simplex vocatur, et jalappae magis, quam rheo, aut aloë adfinis VOGTIO creditur. Est inter leguminosas, ex quarum discrepantibus virtutibus effici credit DIERBACH, neque per botanicen, neque per chymiam certo concludi posse ad vegetabilium potentiam medicatricem, sed per solam castam observationem et experientiam (l. l. pag. 130 sq.)

PHOEBUS ut irritans, dosi gr. v—x, ut purgans gr. xxx propinandam censet. In infusione dr. ij ad unc. iv (rectius ad unc. vj—viij) cum elaeosaccharo citri. Universe nimia dosi praescribi solet: hinc crebriores de torminibus per eam excitatis querelae. Mobilioribus tamen minus tutum, nec tutum gravidis aut febricitantibus. Quod eam ob caussam inculcare oportet, quia multorum medicorum mos est, indiscriminatim purgandi scopo

praescribere electuarium lenitivum sive sennae cum pulpis, aut decoctis aperientibus ex rad. gramin. fruct. tamarind. manñ. similibusque infundere sennae folia, SYDENHAMI ad exemplar, qui in potione communi purgativa, cum tamarindis et manna rheum praescripsit et sennam: ut non mirum sit, debuisse turbas per catharticum motas paregorico componere: a qua methodo irritationem intestinorum mucosae et apththas, neque immerito, praedicerem: siquidem non semel observavi, purgantibus ejusmodi alvo liquida mota superesse sordes, postliminio per enemata et eccoprotica subducendas.

JALAPPA.

Etsi MURRAY jalappam efficax et securum, ex quotidiana experientia, purgans in chronicis dixerit, pretio etiam exiguo commendabile, mox tamen addidit, dosin esse infidam, propter diversitatem copiae resinae. Eapropter pulverem sollicite terendum, ne resina tenax intestinorum lacunis adhaereat; quam inflammasse intestina experimento in canibus facto monstravit WEPFERUS *de Cicut. Aquat.* c. XV. Vermes ipsamque taeniam expulsisse, jam observaverat BOERHAAVIUS (SWIETEN Comm. IV. pag. 738.)

In hydrope quoque efficax: nimis tamen univer-

saliter hydropicorum panacea dicta est; quandoquidem haec evacuantia haud raro nocere potius, quam juvare, prudens prudentis Tissoti monitum est.

Quibus hominibus conducat, indicavit Murray I. p. 504. Spongiosi nempe laxive habitus: unde efficitur, quibus conducat hydropicis; praeterea postulat viscera intestinaque potissimum integra.

In morbis soporosis, febri supervenientibus, medicus magni nominis Radcliff resinae jalappae ℈j ausus est, exhibere. Verum, ut recte Werlhoff, audaci consilio. Est tamen lethargi species ex colluvie serosa, in qua ejusmodi hydragogis fortunate usus sum.

In hydrope cum cremore tartari, scilla, in menostasia cum aloë, in obstructione mesenterii cum felle tauri et sapone utiliter componitur. An in tinea capitis, mania, chorea sancti viti? Richter II. 334.

Observante Vogtio, purgat cito intra 3—4 horas (contraria ratione ac aloë, quae intra 24 horas demum purgare solet) concitans fluxum serosum. Magis solvit et urinas movet sapo jalappinus, portione aequali resinae et saponis.

Est ex convolvulacearum familia, quae, Dierbachio monente, botanicae theoriae favet.

Infantibus recte praescribi jalappam tostam, optimumque corrigens esse elaeosaccharum citri, animadvertit Geiger. Phoebus dosin purgantem

definit a gr. 10—12 o. h. aut bihorio. Cur tosta minus molestet, explicat per oleum empyreumaticum. HAYNE XIII, 37. Resina optime teritur subigiturque saccharo, vitello ovi, gummi arabico, sapone, amygdalis; aut spiritu vini solvitur, sed tunc addi insuper debet syrupus aliquis. Haec a VOLTELENO praecepta, exemplis firmata legite apud PHOEBUM, *l. l.* II. pag. 459.

COLOCYNTHIS.

Jam dudum hujus remedii acrimonia cognita fuit et suspecta. Alvum cruentam movere, post DIOSCORIDEM, saepius observatum est. Exempla indolis venenatae protulere STALPAERT VAN DER WIEL, NICOL. TULP et FEL. PLATER. Ob hanc vim summe drasticam, saepe nocivam, malunt hodie parciori dosi, tamquam alterans, adhibere. Ab ALEXANDRO TRALLIANO laudatur in paralysi, cephalaea, hemicrania, helminthiasi: iisdem morbis, quibus mederi nuper observavit RICHTER. De reliquis morbis, quos per hanc medicinam sustulisse, gloriantur medici in diariis, tacebo, donec confirmata sit experientia magisque adcurata observatio. Scilicet observationibus ephemerinis et experientiae manipulari non multum fidendum est. Nam praeterquam, quod juniores medici sic suae famae

optime consultum arbitrantur, si ejusmodi experimenta publici juris faciant atque divulgent: desiderantur in plerisque exactae historiae morbi, legitima inductio, apta experiendi methodus, sine quibus in artem introduci hoc nomine, nullo jure, medicamentum potest.

Excipiendus hydrops est, in quo adhibuerunt post SYDENHAMUM HUFELAND aliique recentiores: nec non arthritis et rheumatismus chronicus, cui tincturam nonnulli fortunate opposuerunt (*).

Quo titulo emmenagogum dici haberique debeat, omnium optime explicuit SWIETENIUS IV. pag. 443.

RICHTERUS, potissimum irritare nervos abdominales, augere secretionem renum et intestinorum, nimisque imprudenter datum, stimulo suo inflammare rectum (†), allato ORFILAE testimonio, docet. Ex quibus quidem dotibus illius medicamenti locus in materia medica definiendus est.

Duo principia distinxit SOBERNHEIM: resinosum drasticum et amarum narcoticum aut nervinum, quo convenire cum nuce vomica opinatur.

Pertinet ad cucurbitaceas, quarum aliae edules, aliae acres: quae anomaliae pendent, DIERBACHIO interprete, ex perfectione materiae organicae, pro vegetationis periodo, specie, climate, va-

(*) In hisce tamen suspectum usum habeo, ex iis, quae de amaris relata feruntur.

(†) Nonne homoöpatheia exinde effecit, antidysentericum esse.

ria: quae elaborationis et perfectionis leges continent principium ad explicandas caussas tam diversarum virtutum therapeuticarum in plantis adfinibus.

PHOEBUS dosin pulpae colocynth. ut irritans definit ad gr. $\frac{1}{2}$ — 2, ut aperiens ad gr. 4 — 10. Commemorat decoctum propositum ab HUFELANDO, ex cerevisia, II. pag. 414.

Trochiscos Alhandel, ex coloc. c. tragacantha et pilul. cochiae aliasque priscas formulas commemorarunt MURRAY I, pag. 411 sqq. et VOLTELEN II. pag. 386, quorum hic etiam meminit pilularum antihydropicarum doct. DE MAN, citans hoc loco *Act. Societ. Serv. Civib.* I. pag, 128.

GUMMI GUTTA.

Duo sunt morbi, in quibus hoc drastico uti solebant medici: hydrops nimirum et morbus verminosus.

In hydrope cum scilla, cremore tartari adhibere consueverat WERLHOF. QUARINO tum conveniens solum videtur, cum integris visceribus, nec viribus nimium fractis, humores abundant glutinosi atque tenaces: HALLERUM enim observasse, injecto in venam gummi guttae, tenuem ex ano liquorem stillasse sanguinemque mesentericis in venis solutum fuisse.

Adversus taeniam, quae celebrabantur, methodi Herrenschwandtii, Clossii, Noufferi, gummi guttam habebant: habent quoque pilulae Morisoni. Dierbach I. pag. 148.

An in apoplexia tamquam prophylacticum revellens recte laudatur?

Si actio in renes optetur, solutio alcalina danda est (Pereira, pag. 1678.)

Pertinet ad guttiferas De Cand. Dierb. Hayne IX, 4.

Phoebus optimam formulam habet in emuls. dosi purg. len. gr. i—ij. drast. ϑβ—ϑj.

SCAMMONIUM.

» Convolvuli genus, ita Murray l. l. I. pag. 497, egregie botanicis favet, qui ex cognatione stirpium congenerum virtutum convenientiam lrariolantur; nam plures in hocce continentur purgandi efficacia celebrandae."

Phoebus ex lacte propinare jubet, ut drast. gr. viij—xvj; ut irritans gr. j—iij. Illud in duas partes cito sumendas, hoc saepius de die. Hayne XII, 35.

Hodie, neque immerito, aliis cessit infidum remedium.

HELLEBORUS.

Pilulae tonicae Bacheri helleborum continent. Hodie, ut scammonium, fere absoletum.

OLEUM CROTONIS TIGLII.

De novo hoc remedio cf. RICHTER l. l. II. pag. 372 sqq. HUFELANDUS suadet in oleo papav. dare. In apoplectico, linguae impositum, alvum movit (THOMSON pag. 930.)

CHRISTISON pilularum forma, ne irritet fauces; PHOEBUS, cum sapone utendum, proponit, dos. gtt. $\frac{1}{8}$ — $\frac{1}{2}$ raro ad gtt. j., nisi maniacis.

Methodus endermatica non commendanda. Auctore ORFILA necat, inflammando intestina, irritando nervos (*).

(*) De historia naturali hujus medicaminis ejusque usu medico in India conferri meretur vir doct. WHITELAW AINSLIE in ejus: *Materia Indica*, Vol. I. pag. 101 sqq., quae in lucem prodiit Lond. a. 1826.

DIURETICA.

SCILLA MARITIMA.

Scillam diureticis adnumerant eamque hydropicis et asthmaticis profuturam censent veteres: quam utramque laudem ad hunc usque diem tuetur. Verum operae pretium est, considerare, quomodo sensim sensimque adcuratior facta sit, per continuam medicorum traditionem et experientiam, hujus diuretici cognitio therapeutica.

Veterum traditionem breviter exposuit SWIETENIUS, *Comment.* Tom. IV. pag. 258: quo facto tradit eam remedii administrandi rationem, quam ipse et probare et sequi solebat. Veteres enim cum anxie laborassent in scillae acrimonia cicuranda: tostione, assatione, coctione caet., quibus quidem praeparationibus non tantum acrimoniae, sed etiam virtutis plurimum periret, sese crudum et recentem bulbum adhibuisse, monet SWIETENIUS. Is parandum curabat infusum vinosum, ex bulbi scillae recentis unc. β cum libr. ij. vini, cujus mane, ventriculo vacuo, exhibebat unc. β. Solebat plerumque sequi levis nausea, absque vomitu et subito

aderat magnum urinae profluvium, ita ut, intra paucas horas, sex, octo, imo duodecim libras excretas viderit, summo cum aegrotantium levamine. Minuebatur vel augebatur remedii dosis pro varia aetate et tolerantia aegri. Adtente enim expiscari conabatur, quaenam sufficeret dosis, ut sequeretur levis nausea tantum: hinc enim certus erat de diuresi secutura. Si autem inde vomerent aegri, non sequebatur tanta urinae excretio; nec succedebat etiam, si nullam omnino nauseam sentirent. Haec videtur esse ratio, quare celeber auctor, ut vomitum a scillae usu caveret, monuerit sequentia: »et siquidem squillae infusio detur cum aqua cinnamomi forti, raro vomitum ciet: sed modo per alvum, modo per renes copiosissimo flumine excernitur. Et profecto hanc ob causam fit, ut adeo in hydropicis celebretur ejus usus."

Werlhof scribit, doseos scilliticorum remediorum eam sibi esse rationem, ut ne nauseam moveat. Tissot faustius sibi semper successisse scillam, hanc adhibendo dosin, quae renibus, non alvo purgat. Nec tamen suis carere vitiis; nam ventriculi vires deprimere, quas quidem bene deinceps erigit cortex, acre et penetrans remedium in toto corpore saevos saepe dolores ciere; quibus mobiles nervi, eos saepe in convulsiones agere (quod tamen incommodum occupat addita camphora) sanguinis crasin solvere, quare ubi jam soluti humores, caute eo utendum. Haec si vera sint, ut vi-

dentur verissima, non video, quomodo defendi possit sententia erud. WERLHOF: scillam inter scorbuti antidota ex praecipuis esse. Cf. VOLTELEN l. l. II. pag. 319.

Verum pergamus in commentandis de scilla traditionibus. Itaque STOLLIUS *Praelectt. in Morb. chron.* II. pag. 307. corrigentia scillae, quatenus ventriculum infestet, aromatica stomachica esse, quae camphorae ab HALLERO commendatae praeponit: cinnamomum, mentham, zingiberem; quatenus sanguinis crasin solvit, corticem, ita quidem, ut ante meridiem oxymel scilliticum, a meridie cortex praescribatur. Varias esse scillae praeparationes, at si vim spectemus, crudam efficacissimam esse. Vino scillitico multos assuescere non posse, cum enormes vomendi conatus excitet. Acetum squilliticum intolerabiles excitare saepe anxietates. Efficacem et toleratissimam squillae praeparationem esse oxymel squilliticum. Haec TISSOTI de hoc remedio judiciis plane consonant, *Epist.* pag. 207 sqq. Ed. BALDING. Pariter vino non favet QUARINUS, qui extractum scillae ipsi etiam oxymelli scillitico praestare, expertus est: ab illo rarius, quam ab hoc anxietates nasci adfirmans: interdum scillam, nil proficiente extracto, in substantia a gr. i — ij pro dosi datam esse. Cum magni sive ventriculi sive intestinorum dolores a scilla sumpta observabantur, desistendum ab ea et ad demulcentia confugiendum esse. Male consu-

lere aegro, qui ob tormina excitata laudanum addunt; mitigatis enim doloribus, falli medicum, cum interea, dum scillae usus continuatur, inflammatio et gangraena succedant. II. pag. 130.

Sic vidimus, ab aliis laudari, quas alii reprobant praeparationes: quod ita factum existimo, prouti singulis auctoribus se probaverint et singulis profuerint aegris. Nam non omnes respondent omnibus. Quocirca RICHTERUS II. pag. 442: » opus esse monet, plures formulas nosse experientia probatas, siquidem una saepenumero juvat, ubi altera deficit. Scillam recentem esse praecipue efficacem, sed facile drasticam, efficax esse connubium cum digitali, cum stibio, cum mercurio. Minus efficacem esse in infuso, aut decocto, sed facilius tolerari, Acetum scilliticum, illibata virtute, cicurari alcalibus, ad exemplar sp. minder. scillitici a STOLLIO propositi, quales compositiones ipse expertus est saluberrimas.

Exempla si quaeratis sanationis, profert TISSOTUS pueri anasarca gravi laborantis sanatique per scillam tostam l. l. pag. 209. Idem est, cujus meminit VOLTELEN II. pag. 316; et HOME ex decem hydropicis septem hoc remedio sanavit, vomitu concitato, quem secutum est urinarum profluvium. Omnes erant ascitici, nonnulli etiam hydrothorace et anasarca laborabant, *Clinic. Experim.* pag. 357.

Dosis scillae exsiccatae est universe a tribus ad

quatuor grana, bis de die. Aquae subinde tam cito evacuatae sunt, ut opus fuerit, ventrem cingulo, habitum tonicis sustentare. Saepe grana duo aut tria scillae cum saccharo tritae anxietates horrendas in hydrope pectoris citissime tollere et vidisse aegros, qui noctes plures insomnes et orthopnoïci duxerant, bihorio lapso, sat placide obdormiscere et sub prudenti remedii continuatione, cito sanescere, testatur TISSOTUS pag. 206; apud quem legere haud pigebit historiam feminae et diaeteticis auxiliis prudenter praescriptis et oxymelle scillitico liberatae: quae, quod probe notetis velim, a novem annis nullum reditum prioris morbi experta erat.

Notaverat insuper HOME, pulsum perquam tardari sub vomitu. Hoc symptoma quoque a digitali observarunt: an ex simili caussa?

Hanc in hydrope arterioso, scillam in hydrope venoso profuturam opinatur SOBERNHEIM: paullo post tamen laudans acetum scilliticum cum carbonat. potass. in hydrope febrili ex subphlogistica conditione serosarum.

In asthmate uti commendaverat DIOSCORIDES, ita pariter optimo successu oxymelle scillitico et creberrime se usum esse, refert MURRAY, citans HOFFMANNUM aliosque, et nuper RICHTER in catarrho chronico praedicavit, II. pag. 444 cum aliis expectorantibus; jure tamen reprobans in angina membranacea, peripneumonia etiam notha, quamquam

Huxham, Morton, Rosenstein, Tissot in ejusmodi casibus dederant, cf. Voltelen II. pag. 314 sq. Certe, ubi vel inflammatio subest, vel tuberculosis, cum Richtero scillam vitandam esse, existimamus.

Denique electuariis anthelminticis utiliter additur oxym. scilliticum; exemplo sint elect. Störckii et Bremseri, vid. *de Art. Med.* l. II. P. 1.

Vogt pharmacodynamicen scillae comparate ad digitalem explicuit, II. pag. 373 sq., contendens, magis vitam plasticam adficere, ut animalem adficit digitalis.

Pertinet planta ad liliaceas, partim edules, partim diureticas, partim emeticas. Hayne XI, 21.

Inest principium peculiare scillitinum, in aqua et alcohole solubile. Vis propria non a materie acri volatili, sed a materie pingui extractiva esse fertur.

Videtur tamen ipsa materies acris volatilis per destillationem ab aqua separari non posse, Dierbach I. p. 262. Geiger *Hdb. d. Pharm.* II. pag. 169 sq. 1 Lief.

COLCHICUM AUTUMNALE.

Prius non tantum in hydrope, sed etiam in asthmate, ut scilla, a medicis optimo eventu adhibitum. Circa priorem morbum testimonia collegit

Murray V. 203 sqq. cum Störckii, tum aliorum: unde effecit, multis auxilio fuisse et ibi aliquando prodesse, ubi scillae locus non est. In asthmate, sive cum hydrope, sive sine eo juvare, non lotio unice movendo, sed screatum promovendo, pulmones egregie liberare (pag. 213 ibid) cf. *Act. Societ. serv. civib.* X. pag. 302 sqq.

Remedium mitius agere, quam scilla, perhibet Stoll l. l. II. pag. 310. Scillae vires in plerisque aemulari colchicum et vel ideo jus civitatis inter medicamenta mereri, quod indigena multis in locis planta est. Etiam multos, qui scillam absque nausea et vomitu non ferunt, impune atque in salutem suam colchicum adsumere adnotavit Murray, laudato etiam Stollio, *Praelect.* I. pag. 69.

Recenti tempore ad arthritidem et rheumatismum chronicum adhibitum (*eau médicale de Husson*) licet veteribus non ignotus usus plantae adfinis: quandoquidem hermodactylus, sive colchicum Illyricum antipodagricum veteribus fuit, Murray l. l. pag. 215 sqq. Alexander Trallianus hermodactylum instar purgantis in podagra commendat et Paulus Aegineta, et inter Arabes Mesuë.

Nec reticenda tamen mala per illud provocata, quia magis palliat, quam curat morbum, atque modus agendi incertus est ac dubius. (Scudamore pag. 208 sqq., Pereira pag. 944 sqq.) Christison pag. 354. magis huic remedio favere videtur. Caeterum vid. libr. *de Art. Med.* II, II. pag. 50 sq.

Dierbach animadvertit, esse principium proprium colchicinum adfine scillae et veratro pag. 268 sq. et De Candolle observat, colchiceas firmare legem analogiae; differre autem vim pro tempore anni: autumno colligi debere. Hodie vero seminibus utuntur. Cf. Phoebus II. pag. 545, 577, 403, 427. Tinct. vin. oxym. rad. s. bulb.

BALLOTA LANATA.

Est diureticum antiarthriticum, in Siberia domesticum, ante paucos annos in artem traductum, Richter *Supplem. B.* p. 241 sq Reliqui de ea tacent auctores. Haud sine fructu adhibitam vidi hanc plantam in hydrope.

CANTHARIDES.

Venenum acerrimum, causticum, quod periclitati sunt in typho, hydrophobia, hydrope, enuresi, quodque secundum alios plasticitatem sanguinis augeret huncque ipsum inflammaret, secundum alios summo gradu vim liquescendi possideret et irritaret medullam spinalem caudamque equinam praecipue, secundum Orfilam necaret, laedendo stimuli vehementia, quas proxime tangit, partes,

et per sympatheiam nervos, partim resorptum irritaret praesertim vesicam et genitalia.

Usus externus in emplastris vesicatoriis, rubefacientibus notissimus. Curationem veneficii per cantharides exposuerunt ORFILA et CHRISTISON l. l. II. Antidotum alii camphoram, alii opium habent. Oleosa vim veneni exasperare potius, quam mitigare, monet CHRISTISON eaque pariter dissuadet ORFILA. Ille vim aphrodisiacam et abortivam exaggeratam esse, existimat.

De pharmaci historia zoologica cff. BRANDT et RATZEBURG *Medicin. Zoölogie* B. II. Tab. XVIII, quae operis pharmaceutici a celeb. HAYNE editi complementum est.

DE REMEDIIS ACRIBUS UNIVERSE.

Horum remediorum vires interpretantur universe pharmacodynamia, toxicologia, therapeutice; quibus accedunt chymia et botanice. Pharmacodynamicen exposuerunt VOGT et SOBERNHEIM, toxicologiam ORFILA et CHRISTISON, therapeuticen MURRAY, VOLTELEN, RICHTER, chymiam et botanicen PEREIRA, DIERBACH, MITSCHERLICH. Vitam plasticam exuberantem, aberrantem reprimentia, moderantia, secretiones, absorbtiones promovent, digestioni, adsimilationi contraria, evacuant summoque gradu colliquationem, gangraenam, nervo-

rumque organicorum praesertim paralysin efficiunt. A lenissimis resolventibus ad acerrima venena unus est et continuus colliquationis et resolutionis processus, gradu tamen et modo plurimum diversus, ut alia digestionem debilitare, pervertere alia omnem corporis habitum, deprehendantur, singulaque singulas vitae organicae partes efficacius acrimonia sua irritare videantur: alia ventriculum, duodenum, alia crassa et rectum, alia renes, alia vesicam et genitalia stimulando, sive emetica, sive cathartica, sive diuretica, emmenagoga potestate excellunt, nec desunt, quorum in mucosam pulmonum vis pertinere videtur. Hoc autem non solum variis acribus, verum variis quoque acrium dosibus et compositionibus efficitur: quod qui noverit medicus, docta arte poterit nunc emesin, nunc catharsin, nunc diuresin, nunc anacatharsin, subinde etiam diaphoresin concitare sicque aptam variis morborum et formis et caussis naturisque concinnare medicinam et diversimode miscere ac temperare pharmacorum dotes.

Hisce positis principiis, intelliguntur indicationes et contraindicationes horum medicaminum. Nam, ut phlegmaticis, torpidis maxime respondent, ita sanguineis, irritabilibus, mobilibus contraria sunt: uti acutis repugnant, ita consonant chronicis, ea tamen conditione ac lege, ut neque prostrato adpetitu, neque colliquato corporis habitu administrentur.

Sunt tamen et phlegmasiae ab una parte et neuroses a parte altera, quibus per acria fortunate medemur. Ex illarum numero sunt phlegmasiae chronicae, ex catarrhorum maxime genere (blennorrhoeas vocant) et chronica rheumata et chronicae serosarum phlogoses: unde cur in catarrhis et arthritide et asthmate et hydrope quandoque profuerint et adhucdum prosint, perspicitur. Miscelam quod adtinet, sive temperari acrimonia demulcentibus juvabit, senegae v. c. addendo liquiritiam, sive minui potentia in ventriculum debilitans amaris, aut aromatibus, sive dirigi in peculiaria organa, in renes ex. gr. componendo acetum scilliticum cum alcalibus, sive ab aliis avocari, aloëticis aut ipecacuanham, aut rheum, aut opiata adjungendo, sive majoribus rarioribusque, sive parcioribus et crebrioribus praebiis: quorum omnium praecepta peculiaria dare, infinitum foret.

Hactenus dicta sufficiant, ad brevem harum compositionum comprehensionem. Singulatim res deinceps magis et adcuratius tradi poterit, cum de reliquis etiam medicamentorum generibus exposuerimus.

NARCOTICA.

LAUROCERASUS.

Vix ullum remedium est, de cujus pretio magis dissentiunt medici, cujusque vires minus adcurate sunt cognitae, quam hoc ipsum: ut vel venenum, quod continet, acidum illud hydrocyanicum, omnium citissime vitam delens, quo modo interimat, ignorare videantur toxicologi. Itaque caute procedamus oportet, initio facto ab experientiae traditione, quemadmodum in scientiis empiricis decet.

Dioscorides, quem pharmacologicae disciplinae parentem dicere, haud ineptum foret, amygdalas amaras, quae ejusdem census sunt, anodyna vocat, alvum mollientia, hypnotica, urinas cientia, tussientibus, calculosis opitulantia: ad infarctus Aëtius, ad pneumoniam et tussim Aretaeus et Celsus ex amygdalis amaris medicinas pararunt. Ex recentioribus medicis aquam laurocerasi potissimum notam fecit Thilenius. Is (*Medicin. und Chirurg. Bemerkung.* pag. 193.) nullum sibi experientia cen-

ties repetita probatum aut cognitum esse efficacius sanguinis venosi crassi tardeque fluentis corrigendi remedium, hoc ipso: quod tam certo hunc morbum sanguinis curat ac per corticem peruvianum intermittentes, per mercurium syphilis curantur. Praebuit igitur in hypochondriasi, melancholia, mania, catameniis, haemorrhoidibus suppressis, infarctu hepatis, lienis, ex hac caussa provenientibus, successu optimo idque a gutt. 30, 40 ad 60—80, 3, 4 dd. eoque eventu, ut sanguis piceus, niger et spissus, intra 14—24 horas iterum detractus, longe ruberior et liquidior, tenuior, seroque copiosiore scatente, cerneretur, neque hac dosi umquam venenatam indolem manifestaret. Clysmatibus visceralibus, quae KAEMPFIUS THILENII amicus, ad haecce mala debellanda summis encomiis extulerat, hic adjicere solebat dr. β — dr. ij illius aquae, quo facto promptior erat eorum actio. Duabus aegrotantium historiis methodi salubritatem ostendit: altera senis haemorrhoidarii, constitutionis venosae, turbata circulatione abdominali, pulsu intermittente, anxietate ingenti, venis lividis, exstantibus, repletissimis, cui pulsuum intermissiones sublatae, crasis sanguinis emendata vitaque magis vitalis per undecim annos protracta est; altera mulieris obesae, oppressione pectoris, cephalaea, pervigilio, insomniis perterritae, intra sex hebdomades prorsus ab hisce malis liberatae. Quibus rerum testimoniis accedat experientia VOL-

TELENI, qui ipse quoque: » in pluribus jam casibus, inquit, ejus efficaciam expertus sum: nervorum quoque nimiae sensibilitati egregie moderandae ac sanguinis orgasmo compescendo utilem esse vidi."

Hac duplici dote potissimum in praxi tenellorum hanc aquam sibi profuisse testatur CAR. FLOR. TOURTUAL, peritus infantum medicus: in spasmis, tussi spastica, morbo verminoso, diathesi scrofulosa, phthisi denique infantum tuberculosa, I. pag. 36 sqq. Nuper a medicis Italis inter contrastimulantia referri, a medicis Germaniae ad morbos spasticos adultorum, ab Anglis denique ad gastrodyniam sive gastralgiam usurpari coepit inque asthmate spasmodico praesertim meritis laudibus praedicari, quem spasmum saepius ejus virtute sedante solvi, animadvertimus. Magis in medullam spinalem et nervos efficax VOGTIO videtur. Amygdalae amarae ad intermittentes adhibitae sunt. Ex hisce effici poterit, quare dicatur narcoticum antiphlogisticum, antimelancholicum, antiscirrhosum. Verum prius, quam de hisce praedicatis statuamus, breviter de venenata acidi hydrocyanici potentia videndum est.

Symptomata veneficii per acidum hydrocyanicum ex observatione celeb. toxicologi ORFILAE sunt: vertigines, dypnoea, cordis palpitatio, opisthotonus, coma, paralysis. In cadavere venae turgent sanguine nigro, oleoso, spisso, extinguitur prompte

musculorum irritabilitas, exhalant cerebrum, medulla, sanguis, cor odorem amygdalinum amarum. Videtur in sanguinem resorbtum necare cerebrum, pulmones, organa sensus motusque, quorum delet irritabilitatem.

Experimenta relata a Rob. Christison docere videntur, sanguinem nigrum vulgo fluidiorem esse. Universe tamen notandum est, in multis partibus non consonare observata in cadaveribus phaenomena, quod a conditionibus, sub quibus experimenta capta sunt, repetendum esse, animadvertit Christison, pag. 697.

Uti experimentorum eventus varius saepenumero, ita varia fuit actionis hujus toxici interpretatio. Dierbachii conjectura est, actionem hujus acidi esse catalyticam in sanguinem eamque dissolventem.

Pertinet ad rosaceas idemque principium prostat in pruno, persica, amygdalo. Notandum, aquam laurocerasi medicamen esse perquam varium atque incertum viriumque nondum plane cognitarum: acidum vero hydrocyanicum venenum acerrimum, prompte extinguens irritabilitatem.

Ex iis, quae hactenus disputavimus, intelligitur discrepantia sententiarum inter medicos de hoc remedio ejusque dotibus et virtutibus, nec mirum cuivis vestrum erit, ab aliis laudari, culpari ab aliis. Nova de hoc remedio experimenta retulit Richter, *Suppl. B.* pag. 260, quibus in asthmate

senum praecipue et tussi spastica juvare visum est. Haec ad acidum hydrocyanicum spectant: quod, propter venenatam indolem, subito interdum sese manifestantem dubiamque virtutem, RICHTERUS prorsus proscripsit. De praescriptione aquae laurocerasi cf. PHOEBUS II. pag. 59 sq. Sane optandum foret, ut medici practici serie observationum et experimentorum tandem hujus remedii, procul dubio efficacis, dotes viresque expiscarentur (*), quo facto posset tandem definiri locus, quem in sylva medica occupare deberet laurocerasus et ab aliis venenis notari discrimen et quibusnam morborum generibus non tamquam palliativum, sed tamquam therapeuticum auxilium mederi posset. Illud certum est, falli turpiter, qui laurocerasum sive papaveris, sive hyoscyami, sive aliorum quorumvis narcoticorum succedaneum habent; nec improbabile, eos minime a vero aberrare, qui, primam de hoc pharmaco traditionem secuti, praecipue in melancholia, infarctu, verbo ea corporis conditione, quae venosa adpellatur inque neurosibus, ex hac ipsa oriundis, ipsius salubritatem et utilitatem experiri cupiant. Mihi saltem ex hac indicatione

(*) Medullam spinalem, quod miror, non explorarunt experimentatores. Hanc ante cerebrum laedi, indicare videntur convulsiones: opisthotonus, aliae, quas demum sequitur coma. An primo nervi vitae organicae, sive sympathicus, sive vagus veneni vim experiantur, perquirendum foret.

hocque medendi consilio praescriptum experientia probatum est.

HYOSCYAMUS NIGER.

Complures exstant veneficii per hoc venenum historiae, ex quarum analysi et comparatione conabimur efficere, quam habeat in organismum efficacitatem. Incipiam ab historia monachorum, relata in WEPFERI libr. *de Cicut. aquat. hist. et nox.* c. XVIII. » Annis abhinc triginta, scil. 25 Martii 1649, praeparatum cum collatione vespertina reficientibus acetarium fuit, cujus materia debuissent esse radices cichoreae eliquatae. Creverant hae una in areola mixtim cum hyoscyamo: erutae utraeque, separatim in manipulos collectae ab hortulano relictae, a puero horti postmodum in culinam ferendae, puer rerum ignarus, horti praefecto absente, radices utrasque commiscens, coquinae magistro defert, ille coctas mensae infert. Nemo pene edentium fuit, cui non orexin cierat obsonium, ab aliquo insolitum et maxime ob tam corpulentas ac pingues radices et in antea non multoties visas et idcirco aliquanto etiam avidius (salvo tamen jejunio quadragesimali) sumebantur, et quia in magna satis quantitate adpositae et propterea (ne jejunium violaretur) manducantibus etiam superfuerunt, quae scholaribus et sartoribus exinde ap-

positae fuerunt. Quid multis? Post hujusmodi collationem cubitum itum. Hic enim vero oriri symptomata coeperunt et vescarum radicum paulatim diffundi toxicum, sentiri a quibusdam capitis vertigo, aliquorum torreri linguae ac labra, asperari fauces, torqueri nonnullorum ilia, ac totis artubus male haberi. — Insonante noctis duodecima, cum ad preces matutinas pro more excitarentur, miserabilem aliquorum metamorphosin spectare fuit. Unus tam destitutus mente ac debilis repertus fuit, ut pro vita desperato habitus, s. s. ecclesiae sacramentis provideri debuerit. — Ex iis, qui ad chorum venerant, ad matutinum solvendum pensum, aliqui oculos vix aperire, et litteras legere nequibant, vel aliqua inter verba seu versiculos admiscebant, quae ibi non continebantur, unde unus et alter abire compulsus fuit. — Post abscessum medici, qui aqua e juniperis destillata saevientem pestem aut mitigarat, aut absterserat, patres fere omnes melius habere coeperunt; unus tamen illorum, qui in edendis radicibus largior fuerat, has sibi reliquias superesse conquestus est: oculos nimirum, antea acutissimos, adeo obtusos redditos, ut perspicillis uti necesse fuerit."

En alia exempla! Novem homines variae aetatis et utriusque sexus, inter quos femina gravida, radices loco pastinacae in jusculo comederunt, unde quidam loquela orbati, omnes convulsionibus et distorsionibus oris et membrorum, risu sardonio

furoreque dirissimo correpti et postquam commodis remediis resipuerant, primum visu duplicato laborarunt, dein quaelibet objecta colore scarlatino tincta sibi repraesentarunt; sanati integre tamen. *Phil. Trans.* 40. pag. 446.

Duae radices crudae comestae pro pastinaca a servo crearunt illi ardorem ventriculi, sitim intolerabilem, pervigilia, insaniam et visus imminutionem. Cf. MURRAY I. pag. 447.

Haec duo: insania et visus imminutio fuere maxime communia veneficii symptomata. Fuere in duobus militibus, quorum mentio fit apud cl. ORFILA quorumque delirium typhomaniae comparatur (*): quae typhomania etiam detinuit conjuges obs. 4 ibid. Fuere vertigines et deliria in nautis ab hyoscyamo albo, ibid. II. pag. 266. Nec ab enemate, quod hyoscyami folia habebat, delirium idque ferox abfuit. Alium omni sensu privavit; matronam conjecit in soporem apoplecticum (obs. 2. ORF. l. l.)

Quae igitur testantur cerebrum veneno tactum: dum multis etiam aderant ab eadem, ut videtur, caussa, symptomata organorum spirandi adfectorum (cf. CHRISTISON l. l. pag. 684 sqq.) in quibusdam dyspnoea, in aliis aphonia.

Sequuntur nunc experimenta therapeutica, STÖR-

(*) An typhomania ex actione remedii et naturae renisu composita?

ckii primum et Gredingii, quibus prodesse visus est in neurosibus capitis: cephalalgia, mania. melancholia, epilepsia, convulsionibus etiam; tum iu tussi, expectoratione languente: deinde recentiorum, relata in Richteri Pharmacologia. Is, postquam observaverat, Germaniae medicis potissimum hyoscyami virtutem therapeuticam eximiam innotuisse, in tribus praecipue morborum generibus adhiberi monet:

1. morbis febrilibus, praesertim typho erethico, ad sedandum, tamquam anodynum, antispasmodicum, parca dosi, nec diu, ne torporem et narcosin provocet: ut palliativum igitur.

2. pectoris inflammationibus, maxime catarrhalibus, cùm tussi spastica, convulsiva, dolorosa — (neurophlogosibus).

3. spasmis organorum spirandi, asthmate spasmodico, haemoptysi spastica, eclampsia infantum, enteralgia, erethismo sensuum, photophobia, amaurosi dolorosa.

Ad sedandum, sopiendum pariter adhibuit Rob. Whytt: in cardialgia et enteralgia, ubi alvus simul reseranda idque tempore maxime vespertino.

Haec si perpendamus, videtur, quod bene, nostro quidem judicio, notavit Richterus post Vogtium, a cerebro ordiri actio hyoscyami narcotica et per cerebrum ad alias partes diffundi, aut distribui. Hinc in morbis febrilibus, inflammatoriis, cum cerebri erethismo, aut nervorum, ad doloris

stimulum obtundendum, in cephalalgia aliisque neurosibus capitis erethicis, in tussi spastica, periodica, ex cerebro et vago irritatis, in doloribus colicis hystericarum, hypochondriacorum, ad mitigandos impulsus in cerebrum, tamquam anodynum, hypnoticum proponitur: quod eo tutius fieri per hoc narcoticum potest, quo minus irritat genus vasorum.

Interim multae sunt practicorum de ipsius inertia querelae, quae partim ex remedio ipso, partim ex administrandi ratione explicari debent. Et remedium quod adtinet, colligi debet, non verno tempore, sed mensibus junio et julio potius, ut habet Richterus, *Supp. B.* pag. 271. et quidem planta biennis ex praeceptis Houltoni Angli, etiam relatis a Pereira pag. 1222 (cff. experimenta in canibus facta II et III cum IV a celeb. Orfila: altera mense Aprili, quartum m. Junio: cf. etiam Christison, pag. 682) beneque parari, ne virtus pereat: quae caussae sunt, cur extracta venalia, rem denotante Orfila, toties fatua, inefficacia prorsus reperiantur.

Administrandi ratio autem si ea sit, ut in morbis praescribatur alienis: id est iis, qui ipsius cerebri neuroses non sint, sed sive medullae, sive alius provinciae nervorum, ecquid mirum, spem fallere remedium, cujus usum ignorat medicus? Nec omittenda vis idiosyncrasiae, in nervinis praesertim remediis maxime facienda.

Tourtual in praxi infantum: eclampsia, febribus erethicis, dolorosis, pulmonum catarrhis, cum tussi spastica, remedium nuncupat, sibi plurimum probatum, ad gr. $\frac{1}{4}$ extr. 3 d. d. Et profecto, si narcoticis locus sit, hoc in iis morbis, quos diximus, praestat.

An recte Vogtio videtur medium esse inter belladonnam et acidum hydrocyanicum, jure merito dubitat Pereira pag. 1224.

Dierbach observans principium narcoticum in solanaceis (ad has pertinet) multum differre, exinde novum argumentum petit pro sua sententia, materiem medicam ante alias esse doctrinam historicam alioque loco notat, a veteribus: Heraclide Tarentino, Celso, Archigene ad orthopnoeam, pervigilium insanientium, odontalgiam, otalgiam, morbos oculorum, vomitum, diarrhoeam, dysenteriam fuisse adhibitum; qui, auctore Geiger, non fuit hyoscyamus niger, sed albus. Is semina praefert. Phoebus dosin extr. ex herb. et semin. definivit ad gr. $\frac{1}{2}$—ij l. l. II. 194. Hayne I. 28. Alcaloïdeum peculiare inesse ferunt. Pereira, 1223.

BELLADONNA.

Quod in hyoscyamo explicando fecimus, ut initio facto a veneficiis, qualis veneni potestas quaeque organa petat, cognosceremus, idem faciemus

in belladonna, de cujus viribus therapeuticis non minor est inter medicos opinionum sententiarumque discrepantia.

Incipiam ab exemplo, quod protulit MURRAY I. pag. 431. »Infantes, quatuor annos ad undecim usque nati, copiam baccarum ad satietatem deglutiverant. Sed post semihorium circiter invasit eos inebriatio, delirium, sitis molestissima, nisus vomendi irritus, dein correpti sunt vero furore, cum stridore dentium et convulsionibus. Palpebris diductis, pupilla perstitit immobilis. Facies profunde rubra et tumida. Maxillas spasmus compresserat et deglutitio labefactata fuit. Ipse sensus et irritabilis natura ventriculi deleta apparuit, ita ut nec larga tartari emetici dosis effectum exsereret, quem tandem praestitit titillatio faucium per plumam oleo intinctam, ulterius solutione emetici dicti adjuta. Alternis inter emeticum vicibus acetum cum melle aqua mistum exhibitum. Hisce furor conticuit, sed sopor profundissimus successit, tendinum subsultibus stipatus, compalluit facies et haec una cum manibus frigida evasit, sub pulsu parvo, duro, celeri. Clysmata tum applicata ex floribus chamomillae, aceto, oxymelle et sale copiam baccarum contritarum elicuerunt; et opportunitate data iterum potulentum descriptum exhibitum. Hisce et purgante addito, lento tandem gradu, tertio die resipuerunt et coecitas quoque, diu etsi superstes, disparuit."

Alterum exemplum largietur WEPFERUS, pag. 289. » A. 1677, tempore vindemiali, in urbe quadam Danubio proxima, ad puerum quendam decem annorum ducebar, cujus pulsus celer et debilis, hypochondria valde tensa, oculi aperti, licet coecus esset, externorum calor urens erat. Jacebat is modo, mire membra torquebat, modo delirabat, modo ad interrogata recte respondebat, imo et quaerebat; modo respirabat, sed difficulter, modo quasi mortuus nullum trahebat spiritum haecque reciprocatio intra horae quadrantem ter vel quater repetebatur. Indagans mali causam et alia, a parentibus sequentia audio: puer ex sylva propinqua domum redux se cerasa sylvestria ibi inventa comedisse narrat, probe coenat, nec de quaquam molestia conqueritur usque ad mediam noctem, cum a fratre suo majore natu pro siti intensissima sedanda rauca valde voce potum peteret, quem, aquae nimirum frigidae, allatum cum magna difficultate nec omnem, licet valde sitibundus, assumit. Per duas ab hoc horas cum fratre loqui saepius incipit, vix tamen contextum aut periodum absolvit, de cardialgia conqueritur; horâ tertia post mediam noctem vomit, somno sed valde profundo a vomitu obrutus, appropinquante dieï lumine, in oculis nullo apparente vitio, coecus erat, delirare incipiebat et in eum ad horam quartam pomeridianam, qua ipsum conveni, antea recensitum statum deveniebat."

Similia symptomata in reliquis observata sunt: in obs. 1. ap. ORFILA l. l. pag. 392, in infante quatuor annorum anorexia, nausea, vomitus, ebrietas, delirium, sitis, dilatatio pupularum, oculorum insensilitas: praeterea tumor et rubor faciei et labrorum, convulsiones in maxilla, facie, artubus, pulsuum imbecillitas, respirationis irregularitas. In observ. 2 ibidem, febris ardens, convulsiones, palpitationes vehementes, mentis alienatio. In obs. 3, quae symptomata tradit veneficii 150 militum, commemorantur dilatatio pupulae, visus perturbatio, hebetudo, in aliis oculi furibundi, siccitas oris, dysphagia, nausea, leipothymia, syncope, statio infirma, flexio trunci in anteriora et manuum et digitorum, delirium cum risu, aphonia, aut vocis difficultas. Infantes obs. 5. ostendunt pupulam dilatatam, adspectum alienum, mores insolitos, deliria febrilia cum risu, agitatione, sermone inconcinno, cursu, saltu, facie purpurea, pulsu praecipiti. In pueris obs. 7. perpetua mobilitas manuum, digitorum, delirium vehemens cum risu, visus conturbatus, fere nullus, perpetua hallucinatio, pupulae dilatatae immobilitas, spasmi oculorum, faciei, faucium, urinae involuntariae, symptomata maniae, pulsu, respiratione non febrilibus.

In hisce observationibus quaedam symptomata constantia, perpetua, alia minus, animadvertite. Ex illis pupulae dilatatio cum visus obscuratione,

deliria cum risu aut loquacitate, quae excipere solent coma, sopor, stupor, anaesthesia. Minus constantia sunt faucium ariditas, siccitas oris, motus spastici, convulsivi, vocis raucedo, aphonia, dysphagia, motus febriles, rubores faciei caet. Exinde intelligitis, cur SOBERNHEIM scripserit, peculiarem veneni vim esse in sensorium, nervos ciliares, et vagum: et simul, cur in melancholia taciturna, in photophobia, in hydrophobia fuerit a medicis laudatum; cur incitare genus vasorum existimetur usque ad erythema scarlatinosum, quibus si addatis difficilem deglutitionem, faucium ariditatem, cur, HAHNEMANNO auctore, scarlatinae prophylacticum et dictum sit et habitum; cur a MUNNICHIIS, patre et filio, experimenta cum eo capta sint in hydrophobis (de quibus cf. liber *de Art. Med.* II, II.) cur alii in tussi quinta commendaverint; cur in phthisi fumigationes ex ea proposuerit CRUVEILHIER.

Cl. VOLTELEN, praeter alia veneni symptomata, singularem pectoris et mammarum emaciationem observavit idque constanter, ut, praetermissa belladonna, mox naturalis torositas renasceretur iterumque, repetita belladonnâ, decresceret. III. pag. 135. Folia recentia mammae imposita duritiem tumoresque ejus cancrosos discussisse feruntur. Alia testimonia citavit MURRAY I. pag. 433 sqq., nec tacuit contraria. Idem ad icterum quoque obstinatum, ab infarctu hepatis oriundum,

ejus usum translatum esse et bis successisse, semel vero in ictero recente monuit.

An in scirrho scrofuloso, ictero spasmodico et propter vim sedantem, antispasmodicam, in intermittente pertinaci profuit?

Vim nervinam quod adtinet, in hydrophobia experimenta dubia, aut contraria; nec certior adversus scarlatinam prophylaxis, teste Richtero. Infantibus ad tussin quintam datam hydrocephalum provocasse, perhibet peritissimus Goelis. Strictturam colli uterini ipsa solvi posse sperat Chaussier, *Considérat. sur les Convulsions etc.* cui minus adsentitur Pereira, de usu in carcinomate, scarlatina, hydrophobia pariter dubitans.

Antidota recenset Thomson: emetica, alcalia, acetum, infus. gallarum, quibus oxyd. zinci subjungit Geiger.

De usu therapeutico, quatenus ex pharmacodynamice repeti possit, vid. Dierbach, *Synopsis Mat. Med.* II. pag. 877 sq.

De praescribendi ratione, Phoebus II. pag. 245 sq. extractum ibid. pag. 182 sqq. Connubia cum stibiatis, aq. lauroceras, oxym. scillit. An cum chelidon. extr. in ictero, cum mur. baryt. in scrofulosi? Etiam pro fomentis, cataplasmatibus; cum herb. hyoscyami nigri, conii maculati, cujus copulae vim in tumoribus mammarum discutiendis expertus sum maximam. Cavendum in medendi consilio ne negligatur hujus narcotici in vaso-

rum renisu concitando efficacitas: quo spectat forsitan usus in quartana.

STRAMONIUM.

Stramonium, belladonnae adfine esse, arbitratur cl. Vogt. Quod ille, utrum vere, an secus, tum demum cognoscetis, cum historias veneficii, memoriae proditas, eritis commentati.

En primam apud Murray I. pag. 457! »Calculosus senex praë errore capsulas stramonii cum lacte coxit decoctumque bibit: unde vertigo, siccitas faucium et anxietas, vox sensusque deletus, pulsus parvus et celer, frigus extremorum, paralysis artuum, torvus aspectus cum delirio feroci, deficiente somno et suppressis omnibus evacuationibus, quin et per lotii vias, ad quod mittendum calculus antea crebro invitaverat: nihilominus tamen eodem die pristina incolumitas rediit."

In aliis: obs. 2. ap. Orfila II. pag. 398. pariter pulsuum summa imbecillitas, artuum paralyses, furores; conjuges obs. seq. experti sunt vomituritiones, anaesthesias, torpores, somnolentiam; erat autem dosis parca. Experimenta Gredingiana, ne Störckiana memorem, quae pauca et imperfecta, eum habuere eventum, ut plerisque somnus inde tranquillus, in aliis turbulentus contigerit, ocu-

li hebetes et visus varie vitiatus, quin lippitudo et convulsiones oculorum, caput obnubilatum, cum dolore, sitis intensa, sudor saepe profusus, in plurimis largum lotii profluvium. Aliis singultus, dolores rheumatici, febris et pruritus totius corporis, anxietas, purpura reliquis supervenerunt.

Ex morbis, quibus olim, parvo successu incertoque, opponi solebat, unicum hodie ferme superest asthma spasmodicum: de quo in pharmacologia VOLTELEN: »fumo fol. siccatorum cl. olim HAHN superasse asthma spasmodicum, opio pertinaciter resistens, saepius monuit." III. pag. 129. In neurosibus capitis tentamina caute repeti fortasse cum fructu possent: nec non in photophobia.

Praesertim in neuralgiis rheumaticis recentiores commendaverunt. Suspectum tamen jure, ubi seminium apoplecticum et metus futurae paralyseos.

An in nymphomania recte laudaverit WENDT, propter mancam hactenus inductionem, ignoramus. Quodsi experiri plantam in his aliisve morbis quis cupiat, a parcissima dosi incipiendum foret. Herbae dosis in pulvere $\frac{1}{8}$ pars gr. Hodie paratam ex seminibus tincturam reliquis praeparatis anteponunt.

CHRISTISON usum fumigationum a FUCHSIO a. 1543. traditum scribit. HALLERUS extravasationes in ventriculis cerebri detexit. ORFILA tamen et CHRISTISON subinde nullum invenerunt inflammationis, aut congestionis vestigium.

LACTUCA SATIVA ET LACTUCA VIROSA.

Prioris vis hypnotica veteribus cognita. GALENUS sibi somnum per eam conciliavit et apud Romanos mos ferebat lactuca coenam claudere. Antihypochondriacum nonnullis habetur et ab aliis in tertiana pertinaci celebratur: quorsum vis amaricans, sedans referenda, qualis in cichoraceis.

Lactucae virosae vim confirmavit STOLL, *Rat. Med.* III. pag. 299 sq. De hydrope ex dysenteria: quibus totum corpus intumuit, decocto taraxaci, cichorei cum terra foliata tartari, extracto praeterea Colliniano, quod ex succo recentis herbae lactucae virosae (*) parari curaverat, convaluisse, docens. Agere interdum per diuresin, interdum per sudores, notavit VOLTELEN. In hydrope pectoris et pericardii recentiores laudaverunt. Caeterum vires parum cognitae. Hyoscyamo suppar habetur.

Lactucarium ex succo lactucae sativae rectius huic, quam opio comparatur: siquidem neque stringit alvum, nec corpus calefacit; vulgo opii succedaneum habetur. In spasmis pectoris cordisque sedandis RICHTERO probatum, etiam pervigilii remedium. Gonorrhoeam veram suppressisse, ferunt. Incertam ejus vim reputat PEREIRA, nec nisi ple-

(*) De planta a COLLINO adhibita dubitatur hodie.

niori dosi gr. v et ultra efficax: cui ex mea experientia adsentiendum. Varium parandi modum memoravit DIERBACH pag. 859. — HAYNE I, 46 sq. VII, 30.

OPIUM.

CHRISTISON, in praeclara toxicologia, ex recentissimis perquisitionibus circa opii vim venenatam effici haec tria scribit: cerebri congestionem et coma, spinae irritationem et convulsiones, musculorum torporem. Itaque sopit cerebrum, stimulat spinae medullam, sedat musculos. VOGT ordiri actionem opii a nervo sympathico et per nervos spinales ad cerebrum traduci atque stimulorum sensum ubivis reprimere et obtundere, incitare vero energeiam cerebri, quam ultimo ejusdem excipit paralysis. Quam VOGTII theoriam sic mutavit SOBERNHEIM, ut paralysin sensorii et sensus, qua peculiaris opii potestas cernitur comitari incitationem cordis et vasorum moneat eoque pacto contrarias de opio, medicina sive sedante, sive cardiaca, sententias conciliare studeat. ORFILA vero summam experientiae suae hisce thesibus comprehendit. 1. Opium magna dosi, neque narcoticorum, neque stimulantium instar operatur, sed singulari prorsus ratione, quae nullo hactenus usurpato in materia medica vocabulo significatur. 2. Parca

dosi porrectum symptomata concitat stuporis, quae potestatem sopiendi manifestant: subinde vero, propter idiosyncrasiam, vehementer stimulat 3. Analogia opii et spirituosorum inebriantium admittenda non videtur.

Nuper in opio varia principia detexit ars chymicorum: quae forsitan per analysin explicabunt, quod per synthesin explicari non poterat. Hanc spem, quam parum impleverit experientia, sequentibus declaratur peritissimi ORFILAE verbis: difficile, immo ἀδυνατον ferme esse, singulis principiis: morphino, narcotino, thebaïno, codeïno suas adjudicare in veneficio per opium partes, hujusque effectus manifesto provenire ex composita ipsorum actione: neque narcotinum continere vim toxicam pharmaci, neque ex eo manare opii potestatem incitandi: quandoquidem extractum opii aquosum pariter et narcoticam et cardiacam vim possidet II. pag. 228 sq.

Videtis, per theoriam problema non facile solutum iri. Quapropter nos convertamus ad praxin, atque ex morbis, aut morborum symptomatibus, quibus mederi compertum est, conemur cognoscere, quibusnam instructum sit potestatibus.

Verum hic nova oboritur difficultas. Tot enim tamque contraria medicorum etiam principum exstant de salubritate opii in omnibus ferme morborum generibus testimonia, ut cum ab aliis, praecipue Anglis, acutis pariter ac chronicis morbis

mederi opiata: febribus, inflammationibus, exanthematibus, rheumatibus, catarrhis, spasmis tonicis aeque ac clonicis, doloribus, profluviis, cachexiis, vesaniis dicantur, alii, Germaniae potissimum medici, Franci, Batavi arctis illud finibus circumscribant. Quod ne locorum naturae, aut populorum tribuatis, monendum est, ut populos, ita pariter aetates hominum in opio vel laudando, vel vituperando dissentire, prouti genius seculi, aut mos, aut regnans in scholis doctrina medica ferebat. Quapropter, nec sine caussa, historiam opii historiam esse medicinae, nonnulli judicaverunt.

Ego, ut ex hac tanta opinionum sententiarumque discrepantia veram tandem theoriam pharmacodynamicam elicerem, observationes iterato legere, perpendere, commentari conatus sum, quo labore non sine molestia magnaque mentis contentione peracto, in eam veni sententiam: esse unam generis nervorum conditionem, a valetudinis norma recedentem, cui corrigendae opium prae reliquis aptum est et ex qua sive encomia, seu vituperia ipsius commodam recipiunt intelligentiam, eam videlicet, quam *erethismum nervorum* in pathologicis nuncupamus. Opium igitur opinor, tamquam *erethismi nervorum* medicinam, in omnibus et singulis tam acutis, quam chronicis valetudinum generibus profuturum, quorum aut primaria, aut praecipua pars ipso hoc erethismo continetur. Ita-

que hoc principio posito, videamus, utrum lites medentium dirimere, contrarias sententias conciliare verasque opii et opiatorum cum administrandorum, tum vitandorum indicationes et contra-indicationes expiscari quaeque hoc medicamen vere heroïcum spectant, medendi consilia condere tandem, possimus. Ab antiquorum experientia incipientes, percurramus, quae scripto consignaverunt viri eruditissimi deque materie medica optime meriti MURRAY et VOLTELEN. De RICHTERI, SOBERNHEIMII, VOGTII, DIERBACHII adnotationibus, praeceptis, monitis videbimus deinceps. Ultimo denique loco quaedam adjiciemus consectaria, sive canones practicos, ad quos dirigi ars nostra in opii usu therapeutico poterit, ne, quod saepenumero fieri solet, juvare cupientes, aegrotantibus noceamus.

Est in morbis acutis febrilibus turbatum vasorum nervorumque aquilibrium; quodsi illa hosce superent, rem testantibus pulsu, respiratione, cutis temperie, corporis habitu, turgore, calore et reliquis symptomatibus vasculosis, ab opio abstinendum, etsi urgeant pervigilia, dolores, deliria, convulsiones et reliqua symptomatum nervosi generis cohors. In hominibus tamen, praecipiente MURRAY, II. pag. 247, sensili et irritabili nimium corpore, hypochondriacis, hystericis, in quibus saepe spasticis stricturis haec mala originem suam tribuunt, remissius de noxa opii sentiendum. In-

digent etiam subinde alvi dejectiones ante tempus criseos, absque fomite primarum viarum incidentes, eodem auxilio, ne pervertatur decursus febris, vires sufflaminentur, vel exanthema, quod crisin constituit, cohibeatur. Instar cardiaci saepius profuit versus vigorem febris, quando vires diuturnitate febris, pervigiliis, doloribus, excretionibus copiosis consumtae valde fuerunt (YOUNG, *on Opium* pag. 162). Hisce consonant sequentia verba VOLTELENI; » quotiescunque urgentibus symptomatibus, vi ipsius morbi caussae non immediate excitatis, occurrendum est doloribus, spasmis, convulsionibus, deliriis, tussi, vigiliis, excretionibus nimiis, caet. etiam in morbis acutis opio locus est."

De inflammationibus memoria recolite quaeso, quae circa pleuritidem praecepit sagax medicus practicus MICH. SARCONE: esse nimirum pleuritidum species, quarum inflammatio nascitur ex dolore, quam demum vehementer saevientem sequitur inflammatio, eo gravior et periculosior, quo caussa doloris diutius saevierit quaeque gangraena, delirio, morte excipitur. Ecquid enim anxietas, oppressio, pulsus ille, jam parvus, subdurus, jam imbecillus, mollis fereque submersus, quid sudor frigidus, urina aquea facileque secutura gangraena; cuncta illa signa naturae vexatae, quae hosce morbos acutissimos summeque spasticos comitantur quid denotant, quam omnem morbum in principio

in nervis haerere? Haec recensita symptomata nonne ad eam revocanda sunt conditionem, quam erethicam adpellare solemus? Nonne par opii usus est in exanthematibus febrilibus, nervosa versatili, neurosibus intermittentibus, tetano traumatico, ileo, colica saturnina, neuralgiis, convulsionibus, gangraena POTTII, nonne par in vomitu, cholera, tussi spastica, diarrhoea, dysenteria, haemorrhagiis, profluviis, diabete, ischuria, syphilide, in doloribus spuriis parturientium, in doloribus carcinomatosis et motibus febrilibus hecticis, ex dolore subortis, in torticolli denique sive capite obstipo spastico, de quo: » aucute dolentem omnibusque auxiliis pertinacissime resistentem cervicis spasmum brevi sanatum memini, admota sola theriaca, inquit VOLTELEN, l. l. III. pag. 107.

Quae neuroses ut ab aliis dignoscatis morbis, proderit interpretem invocare neurologiam, nec negligere, quae de irritatione spinali nuper publici juris facta sunt praeclara medicorum inventa.

Verum operae pretium est, excutere recentiorum de materie medica auctorum scripta, eorum potissimum, quos supra indicavimus.

Itaque RICHTERUS, usum ipsius in febribus tam intermittentibus, quam remittentibus indicaturus, eadem recenset symptomata, quae in pleuritide nernervosa spastica recensuerat SARCONE (II. pag. 628 sqq.) praesertim nervosae versatilis periodo altera: spasmis, doloribus, sensuum hallucinationibus,

spasticis cutis stricturis mederi, animadvertens. Juvare in exanthematibus: variolis typhosis, morbillis, tussi spastica, gravique alvi profluvio inque inflammationibus, ubi phlogosticam conditionem excipit status nervosus, addito, sicubi crasis sanguinis plastica corrigenda, mercurio, methodo Hamiltoniana: cum hoc et stibio in ophthalmiis catarrhalibus, rheumaticis: cum mercurio etiam in phlegmasiis abdominalibus, praecipue jecoris, quatenus bilis secretionem incitat (ibid pag. 637.) Hisce Richteri monitis addere oportet ea Vogtii, opium indicari: in febre nervosa cum erethismo topico et suppressa bilis secretione; in febre intermittente, deficiente renisu, tum etiam ad sensum obtundendum, inque nervosa hectica; in oculi inflammationibus nervosis, gangraena denique erethica: et alia Sobernheimii, convenire in gastritide nervosa, ad compescendos vomitus enormes, quorsum etiam gastromalaciam referrem, ad quam praevertendam proponit C. Vogel, laud. a Richeero *Suppl. B.* pag 327.

Notandum, in praxi infantum, praecipiente quoque Tourtual, diacodiata, papaverina reliquis esse praeparatis anteponenda; casus vero, in quibus conveniant, esse rarissimos et regulae, quae hac aetate ea proscribit, exceptiones.

Chronicos quod adtinet, Dierbachius observans, vix esse auxilium, quod tot tamque diversis opponitur morbis, dotes, ob quas indicatur, ponit se-

quentes: 1. vim narcoticam atque hypnoticam; 2. vim sedantem, anodynam; 3. vim antispasmodicam; 4. vim diaphoreticam; 5. vim secretiones cohibentem. Conditiones autem morbosas, quibus medetur, esse tres: in morbis functionum et organorum sensus, ad tollendum pervigilium, etiam malo insanabili, ad somnum conciliandum in delirio tremente, nisi congestio cerebri ad apoplexiam aut phrenitidem disponat: in morbis functionum et organorum irritabilium: cordis spasmo et tremore, angina pectoris, asthmate spasmodico, phlegmasiis chronicis, cum merc. dulc.; in morbis functionum et organorum vitae vegetativae: cardialgia, enteralgia, ictero spastico, ischuria, diarrhoea, cholera, diabete, syphilide denique et arthritide, tamquam adjuvans; quibus addere oportet hydropem spasticum pariter et rheumaticum, in quo quantopere juvet interdum, medico licet desperante, testimoniis Willisii et Meadii, in *Arte Med.* II. 1. videbitis comprobatum.

Ea igitur, quae summi artis magistri de opii et opiatorum vel commodis, vel emolumentis magno studio et industria adnotaverunt, recolentibus, una videtur eaque communis subesse corporis conditio, quae pro partium, quas occupat, discrimine mille formis ludens, variis nominibus: intemperiei nervosae, mobilitatis, debilitatis irritabilis, astheniae adpellatur, nos *erethismum* diximus, *Init. Discipl. Pathol.* §. 156 sqq. Hoc, ut supra breviter indi-

catum, ita nunc paullo copiosius exponendum.

Pertinet ille erethismus ad acutos aeque atque ad chronicos, ad vitam animalem et ad vitam organicam, ad cerebrum, sensus spinaeque medullam, et ad vagum et sympathicum; regularem morborum cursum turbat, pervertit crises, naturae conatibus resistit, auxiliorum therapeuticorum operationes impedit, nec raro praematuram invocat mortem. Perspicitis, rem esse optabilem, hanc conditionem erethicam sub multiplici larva detegere eique prompte obvenire, quo elementum isthoc ex morbo auferatur hicque ipse veris se characteribus monstret. Nam in morborum compositorum et complicatorum curatione illud antea omnia medico curae cordique esse debet, ut problema ab ipso solvendum sua proponatur simplicitate: ne in arte facienda aberret turpitur. Quum vero erethismus ille nervorum vulgo sit elementum alienum, peregrinum, morbo superadditum, aut inditum, nec raro ad aegrum corpus magis, in quo morbus habitat, quam ad hunc ipsum referendum, perspicitis simul, quo jure opium potius *palliativum*, quam therapeuticum remedium nonnullis habeatur: siquidem, quum ad sanationes miraculosas saepenumero viam parasse legatur, vix ullos esse contendant, quos solum, sine aliorum medicamentorum adjumento, perfecte sanat, morbos.

Ubi in decursu morborum febrilium, acutorum erethismus ille enascitur, iisque sese prodit sympto-

matibus, quae status nervosi nomine insignire solent medici practici, nimium nervorum mobilium sensum obtundent parcae at repetitae opii doses. Nec dispar exanthematum febrilium ratio est, quibus si accedat nervosa febris erethica, efflorescentia aut tardante, aut aegre proveniente, cute arida, spasmo constricta, aut erumpentibus variolis lymphaticis parvisque, nec satis rubentibus morbillis, iisve alvi profluvio pallentibus, eadem bene occurritur medicina.

Alia autem aliaque erethismus ille sese manifestabit specie, prouti aliam aliamque nervorum provinciam tenuerit; tussis spasticae, spirandi nervos, vomitus, cardialgiae, enteralgiae, cholerae, nervos ventriculi et intestinorum, trismi, tetani nervos spinales, icteri nervos officinae bilis invadens, diabetis, ischuriae, incidens in plexus renales. Sin ad syphilidem aliamve cachexiam accesserit, propriae cuivis medicinae opii tantillum subjungere, consultum erit. Hoc autem teneatis oportet, tunc demum opio et opiatis locum fore, quum ab una parte virtute narcotica, anodyna pacare sensum tumultuantem, ab altera virtute cardiaca, stimulante, renisum potestatemque motricem incitare rei necessitas jubeat: nervorum igitur erethismo cum vasorum languore, torpore existente, nullo orgasmo, nulla plethora, nulla phlogosi, nulla congestione hujus erethismi comite. Atque sub hisce in corpore conditionibus, hac lege, propinatis ex

opio remediis, dum sensus exuberans reprimitur, incitatur motus et energeia vitalis suoque legitimo vasorum generi concesso tono, turbatum restituitur inter nervos et vasa aequilibrium vitaeque redibit pristina aequabilitas. Nam ut nervis per vasa et sanguinem oppressis opitulatur prompta largaque sanguinis jactura, sic vasa sanguinemque per nervos oppressa liberabit opium, opportune datum.

Nequaquam vero hisce definitur opiatorum salubritas. Nam non tantum sedans est et anodynum, est etiam hypnoticum, est diaphoreticum.

Crisin somnus firmat. Hanc veterum medicorum observationem secutus SYDENHAMUS crises artificiales turbasque evacuantibus factas diacodiato, somni tempore porrecto, sedare solebat. Hypnoticum quoque se probat in pervigilio ac phrenesia ebriorum (delirium tremens vocant) absente plethora ac congestione, inque doloribus ex cancro, syphilide, aliisque miserorum somnum fugantibus.

Diaphoreticum est, praecipue ipecacuanhae junctum, in catarrho, rheumatismo nervoso, arthritide atonica, anomala subinde, vel parciori dosi, oscillantibus vasorum nervorumque viribus, iisdem pondere ac momento per opium adjecto. Atque hoc praesertim nomine neuralgias rheumaticas (ex quo genere pleraeque nostratium neuralgiae esse reperiuntur) componit pulvis Doverianus simulque somnum invitat, miseriarum et aerumnarum intermissionem.

Rectum vero et legitimum opii usum, qui cognoscere cupiant, ipsius et tempus et copiam et compositionem, aptam singulis et aegrotantibus et morborum generibus, scire debebunt.

Infantibus exiguae tantum syrupi diacodii aut papaveris doses conveniunt. Similiter opiata per epicrasin exhibere praestat in morbis acutis, febrilibus, neurophlogosibus, typho, exanthematibus, rheumatibus. Pleniori contra, immo plenissima in cholera, ileo, colica saturnina, tetano: ut quo gravior dolor, aut spasmus, eo major exigatur vis remedii anodyni, antispasmodici: major quoque, si ventriculi intestinorumque intemperies ipsum vomitu alvoque exturbet, aut si, praeter vim dolores lenientem spasmosque solventem, vis optetur somnifera: quae cuncta computare medicum oportebit, ne ob pravam inconsultamque medicationem spe sua excidat.

Si sola vis sedans requiratur, morphium toti opio praeponitur: quoniam virtus cardiaca ab ipso abesse creditur. Si diaphoretica, additur ipecacuanha et regimen medicinaeque diaphoresin promoventes. In phlegmasiis et syphilide cum mercurio, in ictero cum solventibus; in hydrope contra cum scilla aliisve diureticis interdum utiliter copulatur: in cordis neurosi, haemorrhagiis erethicis cum digitali, in rheumatismo chronico cum guajacinis, terebinthinaceis, in neurosibus intermittentibus cum cortice peruviano, chinino sulphuri-

co, in ileo, cholera, colica saturnina interdum cum catharticis, aut simul, aut alternis vicibus.

Nec tantum ori ingestum, verum ano injectum, aut cuti admotum prodest. Enemata opiata utrum efficacius sopiant, disputatur, adfirmantibus aliis, aliis negantibus: quod eapropter meminisse juvabit, quia vulgarem morem imitati nonnulli, praeter exspectationem, narcosin provocarunt. Endermatica methodo cuti nudae insperso acetate morphii, peccarunt alii, nimia dosi inspergendo sicque irritando. De quibus omnibus PHOEBUS consulendus est, in saepius laudato opere de arte formulas concinnandi medicinales.

Ad vim cardiacam adjuvandam cum ipso miscentur aromata, ad alvum cohibendam, mucilaginea, subinde tonica, adstringentia, ad mitigandos dolores et spasmos, oleosa.

Ut vulgo morphium aceticum, sic quibusdam Francis morphium muriaticum praeponitur; morphium vero purum vix praescribitur.

Crebro praebetur opium cum camphora, quod quo consilio fiat, quove eventu, posteaquam de camphora egerimus, intelligi a vobis poterit. Ultimo breviter de compositionibus opiatis in codice pharmaceutico monendi estis. Quod in postrema operis parte fiet, postquam codex ille fuerit editus.

CROCUS.

Crocum virtutibus therapeuticis opio parem nonnulli censuerunt cumque antiquiores ipsum crebro usurparent, recentiores paene neglexerunt. Nequaquam igitur supervacaneum vobis existimabitur diligens hujus singularis prorsus medicinae examen.

Duce igitur atque interprete traditione, enarrabo varias croci fortunas.

In oculorum morbis, in hysterica passione, in pervigilio insanientium, in orthopnoea pectorisque chronicis valetudinibus, ut prophylacticum ebrietatis, ut aphrodisiacum, ut aroma apud veteres in deliciis fuisse, DIERBACHIUS auctor est, II. pag. 823. MURRAY nimiam croci quantitatem ingestam cerebro nervisque vim inferre (V. pag. 232.) docet mortisque apoplecticae ex eo exempla citat. Inde pallorem, capitis dolorem, oculorum caliginem, demum insaniam, cum laetetiae enormis indiciis, fuisse observata, auctorum testimoniis ostendit hocque characteristicum in nocendi sua efficacia videri, quod nimia copia risum morbosum et indecorum excitet. Contrarium tamen hilaritati effectum ex croco in matrona observatum esse, ut quae ex pulveribus crocatis semper in tristitiam incidit, a BERGIO mutuat. Multa in effectu similia cum vino, vel opio praestare, parciori scil. dosi exhilarare, majori caput

tentare, inebriare, nervos insensiles reddere, somnum, soporem, quin mortem ciere, subjungit. Et in mitigando stimulo ad tussim, in doloribus sedandis, item in adfectibus spasticis valere (ibid. pag. 233.)

Hactenus MURRAY, quocum consentiunt haec VOLTELENI verba: modico usu nobilem herbam virtutes haud spernendas exserere, laetificantes, carminativas, antispasmodicas, sedantes, anodynas, hypnoticas, diureticas, emmenagogas: adeoque in motibus nervorum irregularibus, spasmis, doloribus quibuscunque, flatibus, vigiliis nimiis merito depraedicari. Verum quis ex hacce tam multiplici dote de pharmacodynamice croci sententiam edere auderet? Itaque observationes quaerendae, quae profecto non abundant. Unam retulit ipse VOLTELENUS hunc in modum: »Nobilem virginem novi nervoso affectu dudum detentam, in convulsiones violentiores vigiliasque pertinaces quandoque actam, opio exhibito, longe gravius affici, aucta spasmorum et anxietatum vi, croci solo pulviculo pacari tandemque plane obdormiscere." Huic observationi quam multa desint, ipsi intelligitis. Qualis fuit hic nervosus adfectus? Erethismum loquuntur cum spinae medullae, tum cerebri, et vigiliae pertinaces et convulsiones violentiores. Verosimiliter erethismus hystericus fuit, quem exacerbabat opium, pacabat crocus: an propter idiosyncrasiam aegrotantis, an propter indo-

lem neuroseos, an propter remedii opiati formulam? Quis in tanta relationis brevitate rem nobis explicet. Nec doctiores nos faciet HOFFMANNUS, in pulmonum morbis peculiare quid efficere statuens; nec BOERHAAVIUS, in asthmate, tussi pituitosa, ictero etiam chronico crocum commendans.

Haec communis de materia medica scribentium est ratio, quam non tantum antiquiores, verum recentiores etiam secuti sunt et sequuntur hactenus: unde sibi aut semel aut pluries forsitan probatam esse medicinam constat, sed quibus sub conditionibus, latet, ita ut, si cupias in praxi eorum experientia frui, ignores, an fortunatum res habitura sit eventum.

Quemadmodum in casu VOLTELENI opio praestitit crocus, ita in neurosium infantilium curatione eundem opio et opiatis etiam praestare docet TOURTUAL. Equidem hoc remedio, utor, inquit, in adfectibus catarrhalibus, tussiculosis, spasticis pectoris inque spasmis et doloribus intestinorum, subinde etiam, ubi magis sopiendum, syrupo diacodii croci syrupo addito.

Crocus utrum opio praestet in curandis infantum morbis ignoro, quoniam neque hoc, neque illo uti soleo, narcosin metuens; verum quomodo de croci prae opio praestantia constare possit, si una cum diacodii syrupo propinetur, fateor me nescire.

Hactenus igitur, quo jure celeberrimus de phar-

macologia scriptor SOBERNHEIM ipsum infantum opium dixerit, decernere nequeo.

Ex omnibus pridem celebratis croci virtutibus hodie fere sola vis emmenagoga superesse videtur, quae partim BOERHAAVII nititur auctoritate. Is nempe vidit, feminas defluxisse ab usu nimio croci per menstrua. Neque a BOERHAAVIO dissentit SOBERNHEIM, diserte indicans hujus pharmaci ad uterum relationem. Eadem verosimiliter mente PHOEBUS connubiorum cum borace, cum sabina, cum chamomilla meminit, II. pag. 154. l. l. Solebant antiquiores medici cum myrrha et aloëticis, eodem consilio, praescribere. Quae connubia sane rem dubiam faciunt. Posset BOERHAAVII observatio suspicionem movere potestatis cardiacae, stimulantis sanguinisque exagitantis motum: sed obstant experimenta medici Angli ALEXANDER, qui nihil ex scrupulis quatuor ingestis in se mutatum invenit. Cui tamen experientiae obloquitur experientia Angli pariter medici THOMSON, eapropter dubitantis de bonitate croci a priore experimentatore sumpti.

Equidem numquam solum adhibui, subinde cum aliis sive emmenagogis, sive pectoralibus, quae vocantur: cum myrrha, cum aloë, aut cum tinctura succini, benzoës, opii; neque adhibui inutiliter: etsi definire non ausim, quae partes successus cuinam parti formulae medicinalis competant. Quae cum ita sint, ne miremini, percelebrem

pharmacodynamices cultorem VOGTIUM scripsisse: actiones hujus medicinae, utut diu usurpatae, nondum rite exploratas esse, nihilque de iis posse adfirmari, quod non aliorum observatorum enunciationibus posset refutari.

Pertinet planta ad irideas ejusdemque familiae est cum iride florentina, probatae mihi virtutis in chronicis pectoris adfectibus: in catarrho chronico nimirum, et asthmate senili.

NUCES VOMICAE.

Si conferatis observationes et experimenta, quae veneficium per nuces vomicas adtinent, a WEPFERO, ORFILA, aliis memoriae prodita, characteres hujus veneni rite esse positos reperietis a ROBERTO CHRISTISON, quos ipse totius tribus genericos fecit: provocare nimirum spasmos gravissimos ipsumque tetanum et necare sub paroxysmo, cohibita respiratione per spasmum tonicum, aut si velitis, tetanum musculorum spirandi ipsiusque diaphragmatis. Hoc respectu aequiparari posse acido hydrocyanico, a quo tamen similibusque discrepant, quia sensum relinquunt intactum: hunc enim, tempore inter paroxysmos interjecto, esse perquam acutum leviorisque stimuli impatientem. Nec semper tetano interimere lethali: subinde summa, nec facile describenda virium prostratione. Praeterea potesta-

tem habere irritandi eas, quibus admovetur, partes: hanc autem occultari vulgo, aut supprimi propter promptam ac cito funestam vim spinae nervisque illatam. Ingredi sanguinem, exigua dosi inferre necem, actione in spinae medullam, subinde in cor ipsum. In mortuorum corporibus vix veneni superesse vestigia: nisi huc revocare velles congestionem venosam, nec ipsam notabilem utplurimum. Interdum vero cerni inflammationis signa in canali cibario. Pharmaci denique malignitatem latere in peculiaribus principiis alcaloïdeis.

Cum hisce toxicologicis enuntiatis jam practicas componite traditiones. Inter primas primoque celebratas maxime, dotes eminent febrifugae. In febribus intermittentibus valere a multis notatum, rem animadvertente celeberrimo pharmacologo MURRAY: in connubio aliorum: gentianae, cort. peruviani. Tum ad vermes tentatum. Postea ad neuroses cerebri: delirium hypochondriacum, maniam, hydrophobiam. Ad dysenteriam denique, teste eodem, in qua praestitisse plurimum arbitratur VOLTELENUS, III. pag. 162 sq.

Ex hisce obiter relatis, duo videtis esse genera morborum, quibus mederi credebant antiquiores: alterum videlicet intestinorum, nervorum alterum: quod utrum perficiant duplici dote: amara et acri, quarum meminit DIERBACH, deinceps perquiretis.

Nunc in traditionibus practicis tradendis perga-

mus. VOIGTELIUS, praeter alias neuroses, etiam epilepsiam commemorat: cui, quo titulo opponatur, ignoro, nisi ex homoiopatheia per simile simile curandum statuatur tuncque dosi homoiopathica duntaxat fieri, me judice, liceret. Eodem sane sensu in asthmate commendatorem habuit HAHNEMANNUM. Praecipue vero utiles expertus est VOIGTELIUS in gastrodynia, cardialgia, enteralgia.

Nuper a medicis Francis potissimum paralysibus opponi coeperunt idque utiliter. Nec tamen pari ubivis successu. Hoc iis proprium est, ut in partibus paralyticis suscitent sensum formicationis et convulsiones seu spasmos tonicos. Quae virtus antiparalytica brevi alias remedii virtutes obscuravit adeo, ut hodie omnibus supervixisse paene videatur atque unica esse, ob quam nuces vomicas, aut paratum ex iis extractum praescribant medici, nisi excipiatis aliquot casus cardialgiae, in quibus salubres sese probaverunt.

Nolite tamen putare, cunctis paralysibus medicandis pares esse: immo saepe fallunt, saepe etiam nocent: apoplecticis, hemiplegicis, plethoricis: irritatione, congestione, inflammatione tam cerebri, quam spinae medullae existentibus. Sunt qui in paraplegia post apoplexiam, myelitidemve superstite, qui in paralysi deuteropathica ex haemorrhagia cerebri ejusve emollitione, idque optimo eventu administrasse, ferunt: quos audaces fortuna magis, quam sapientia juvasse crederem.

Solent inter bona signa numerari: commotiones electricae, contractiones involuntariae, sensus formicationis in partibus paralysi tactis, nec non sudores critici cum efflorescentia sive miliari, seu pustulosa, pruriente. Mihi, ingenue fateor, hactenus raro tam felici esse contigit, ut vel sub signis ejusmodi paralyticum liberarem, nec nisi cum magna cautione remedium adhibendum esse existimo: praesertim in ultimo memoratis casibus et vim acrem cogitans et teneram nervorum medullam et plurium recentiorum virorum prudentium observationes, quibus constat nocuisse graviter.

Testes cito LALLEMANDUM et ANDRALLIUM: illum in epistolis de morbis encephali partiumque annexarum, hunc in clinice medicinali. Hoc monitum, uti de reliquis praeparatis universe, ita de extracto alcoholico atque speciatim de strychnino accipite, a quo abstineat, qui methodum nescit.

Nequaquam hoc ita quaeso interpretemini, ut medicamentum heroicum cupiam proscriptum, sed illud teneatis velim, nonnisi prudenter et religiose, perpensis ponderatisque omnibus et singulis exhibendi vel prohibendi momentis, praebendum esse.

Itaque in paralysi ea praesertim spem sanationis certiorem facit, quae ex intestinis nervisque spinalibus provenerit, colicae saturninae aliusve sequela. Proxime sequitur rheumatica; magis dubia vero medicina est in ea, quae apoplexiam, emol-

litionem, aut congestionem secuta est. Quam sententiam firmare videtur conjuncta in remedio acrimoniae amarities. Tum etiam artubus paralyticis inferioribus potissimum mederi videtur. An quia, quae DIERBACHII conjectura est, in ultimam: id est postremam medullae spinalis partem efficacius agit? Equidem nec superiorem medullam, nec artus thoracicos exciperem prorsus, cogitans spasmos tonicos universales ipsorumque musculorum spirandi prius notatos.

Is sequentes posuit nucum vomicarum dotes therapeuticas.

Per amaritiem mederi intermittentibus, vermibus, pyrosi, cardialgiae, enteralgiae.

Per vim irritantem mederi paralysibus, irritando spinam et musculos motorios: tum amaurosi, surditati, profluviis atonicis intestinorum.

Per vim in systema uropoieticum et genitale mederi impotentiae, gonorrhoeae, blennorrhoeae, enuresi, diabeti.

Quas quidem indicationes ego ita ponerem, ut remedium, partim amaris, partim acribus principiis instructum, in morbis intestinorum atonicis inque paralysi motus, tum per principium amarum, tum per principium acre, efficax futurum crediderim; quod eo majoris pretii reputandum est, quo certior actio in spinae medullam pariter et in canalem cibarium.

Ob hanc actionem in canalem cibarium ei dys-

pepsiae mederi existimant, quae est ab atonia musculi intestinalis. PEREIRA dubitat, an recte perhibeatur, nullam esse pharmaci in cerebrum potestatem, hypotheticam tamen reputat opinionem FLOURENSII, statuentis irritare cerebellum et medullam oblongatam.

THOMSON solius strychnini nullam esse vim contendit in cerebrum. Is post mortem notavit irritati ventriculi signa, venas repletas, contractis arteriis.

CHRISTISON sanguinem animalis ab eo adfecti pariter adficere aliud animal, in cujus venas infunditur contendit citatque casus 97 paralyseos, ex quibus 59 perfectae sanationis, 25 morbi emendati, ex aliorum testimonio, suam tamen experientiam minus fuisse fortunatam subjiciens (pag. 895 sq.).

An plures exstent observationes febris intermittentis eo commotae, quae testimonium GIRLII, citatum DIERBACHIO, pag. 896, confirment, nescio.

PHOEBUS dosin pulveris definivit a gr. i — ij, sensim adscendendo ad gr. v. Formam infusi, aut decocti improbat, propter actionis incertitudinem. Extractum nucis vomicae tamen exhibendum proponit in mixturis mucilagineis, aut emulsionibus ad diarrhoeas, dysenterias, prolapsus ani etiam infantum et in enematibus citatque formulam mixturae HUFELANDI. Meminit idem extracti nucum vomicarum spirituosi, cujus dosin proponit gr. $\frac{1}{2}$ — 1, augendam ad gr. ij — iij, eo loco tradens formu-

lam extracti hujus cum tinct. colocynth. tinct. pimpinell. ex thea flor. arnicae: in qua igitur conjuncta habentur tria acria; unde exstat remedium acerrimum, non tantum spinae medullam, verum praeter hanc stimulans intestina et cerebrum et nervos sensus; quae singula exacte computanda sunt, ne imprudenter administratum acrimonia obsit plurimis.

DIGITALIS PURPUREA.

Pharmacorum usum per continuam traditionum seriem magis magisque innotescere, exemplo sit digitalis, de qua MURRAY a. 1776: »hodie scrofulosis affectibus potissimum ambiguum hoc remedium reservatur:" inter alia, haec referens virtutis antiscrofulosae testimonia: »convaluit vir, variis c. locis scrofulosis ulceribus tentatus, in crure dextro tam diris, ut de amputatione jam cogitaretur, succi cochleari uno bis intra 14 dies cum dimidia pinta cerevisiae calidae, inter dira symptomata capto et applicata quotidie herba post expressionem residua.

Vir scrofuloso tumore eoque lurido cubiti dextri per triennium sub dirissimis doloribus laborans quatuor praebiis succi per intervalla unius mensis integre fere sanatus est." I. pag. 491 sq.

VOLTELENUS ab usu in scrofulis incipiens citans-

que dissertationes, exeunte seculo decimo octavo de hac herba editas: » inprimis, inquit, hodie ab Anglis celebratur ad hydropem:" subjungens, eximias de ejus efficacia observationes dedisse WITHERING; sed LETTSOM contra, non tantum successu caruisse, verum etiamsi urinae fluxum auxerit, tantis tamen remedium difficultatibus laborare, quae emolumenta plurimum superent, nervos potissimum male afficiundo. Eam tamen denuo commendasse omnibusque aliis praeposuisse, THILENIUM. Differre successum, pro diversa aegri constitutione, ita ut rarius bene cedat subjectis rigidis, calidis, ventre multum indurato, partibusque in anasarca multum renitentibus; contra eximie operari per diuresin, ubi pulsus debilis, intermittens, facies pallida, cutis frigida, tumor c. mollis, digitis prementibus cedens.

Viginti annis post, VOIGTELIUS, postquam meminerat usus in hydrope et in scrofulis, circa illum morbum, praecipue hydropem pectoris ipsius vim cognosci monet, dummodo neque congestiones, neque ventriculi sensus, neque debilitas musculorum, neque vitia organica eam vetent; praesertim herbae salubritatem in phthisi extollit scrofulosa, atque, propter observatam arteriarum vim imminutam pulsuumque tarditatem, in haemorrhagiis activis hujusque generis haemoptysi perquam efficax se cognovisse remedium, etiam in ea, quam vis mechanica induxerat, quo impediri, aut protrahi

saltem phthisios evolutionem, eaque propter in phthisi florida salubrem fore exspectat.

Hanc virtutem antihaemorrhagicam RICHTERUS altero Tomo Pharmacologiae ann. 1827 edito ita circumscribit, ut minus in vere phlogistica, quam erethica, spastica, qualis vulgo esse solet haemoptysis, commendabilem habeat: in priore vero, nisi prius factis legitimis depletionibus, convenire neget. Palmariam vero medicinam esse censet in cordis majorumque arteriarum vitiis organicis eamque, qua per annos vita tolerabilis reddi possit, quinetiam ad sanationem prodesse. Quae plura hujus loci sunt, retuli in Lib. II. Part. I. de *Art. Med.* quo, qui invenire cupiat, inveniet.

Circa usum in hydrope docet RICHTERUS, erethico, aut si mavelitis spastico generi potissimum congruam esse, nec tamen alias species excipi, inprimis serosarum, auctore VOGTIO, quibus ex aliorum quoque sententia addere oportet, tum calidum, post scarlatinam, tum venosum, ex vitiato corde turbataque circulatione natum.

Quam spem foverat VOIGTELIUS, fore ut in phthisi florida prodesset, eam haud fefellisse recentiorum experientia videtur. Testatur RICHTERUS, a se utiliter fuisse praescriptam idque majori dosi, secundum methodum NEUMANNI, etiam ab aliis, eventu maxime fortunato.

In scrofulosi denique novis periculis probatam illius vim fuisse, idem nobis auctor est RICHTERUS,

et in scrofula quidem propria, sive erethica potissimum.

Atque haec traditionis medicae de digitali purpurea est epitome. Quam ubi memoria repetatis, intelligetis, me haud inconsulto dixisse, magis magisque adcurate cognitam fuisse ipsius pharmacodynamicen, quam probabiliter interpretantem, si lubet, legite VOGTIUM. Hujus enim exegeses pharmacodynamicas, post ejusmodi studia rite peracta, minus hypotheticas universe reperietis, ac quidem vulgo reputantur; immo saepius nihil esse, praeter observationis et experientiae compendio traditae theoriam et contemplationem.

Verum etsi ab una parte herbae salubritatem ostendit usus, tamen ab altera parte detexit herbae fallacias, quae tantae visae sunt DIERBACHIO, ut maxime constantem effectum ipsius inconstantiam esse, scripserit. Quae si vera sit sententia, remedii vim minus, quam administrandi rationem nondum probe cognitam testatur. Et profecto multa sunt hac in re obscura, alia, nec numero minora, perperam a medicis praetervisa, sive colligendi rationem, sive compositiones, seu doses, seu aegrotantium spectemus idiosyncrasiam.

De solo sicco arenoso, incipiente efflorescentia colligendam esse, jubet RICHTERUS. Si vis sedans quaeratur, neque spirituosas, neque aromaticas tincturas esse eligendas, dosin majorem requiri, longo demum tempore interjecto repetendam; si

ventriculum irritet, diuresin non esse exspectandam, medicorum docet observatio.

A quibus principiis virtus oriatur, controversia est. Digitalinum, quod alii alcaloïdei nomine insignjunt, alii negant, principium amarum et acre in ea discernentes; sensu therapeutico narcoticum et acre, huic junctum, inesse statuunt. Alii irritabilitatem musculorum opprimere, alii nervorum sensum obtundere, alii cordis vasorumque energeiam et tonum augere perhibent.

Practicas observationes consulentibus, *cordis opium* et dictum esse et habitum, vobis mirum videri non poterit, nec cogitantibus vim resorbtionem incitantem vasorumque lymphaticorum munera promoventem, et diureticum (*) et antiscrofulosum adpellari; utramque vero et sedantem cordis arteriarumque et stimulantem lymphaticorum in hydrope pectoris, in phthisi, in haemorrhagiis fuisse laudatam.

In hydrope utile esse, ubi a corde aegro, in febre, ubi ex neuralgia circulatio accelerata, fertur. Interdum in hydrope atonico, aut metu syncopes, remedio addendum est ferrum; nec dissentiendum

(*) A remediis diureticis vulgo ita dictis distare plurimum, et alii notarunt et doct. Dassen in *Compendio Pharmacodynamices* nuper edito. Cf. *Handboek voor de Leer van de krachten der Geneesmiddelen* door H. Dassen, H. J. Zoon, Groningen 1846. I. Deel bl. 158.

forsitan a SOBERNHEIMII sententia, qua statuit, relationem habere ad nervos organorum circulationis et ad membranas serosas capitis et pectoris.

PHOEBUS, ubi tamquam diureticum, parcis dosibus repetitisque, ubi ad cordis vitia, magnis rarisque, praescribi jubet.

Pertinet planta ad familiam personatarum, ad quam et gratiola et veronica referuntur.

Si igitur ex iis, quae hactenus disputavimus, universales regulas repetere cupiatis, animadvertatis velim, per hanc medicinam minui cordis erethismum, augeri contra resorbtionem: ut narcoticum sit respectu generis arteriarum, acre stimulans vero respectu generis lymphaticorum; quapropter tum inprimis indicari, quum, torpente ac languente resorbtione, incitata fuerit per erethismum nervorum circulatio ideoque, praeterquam in cordis vitiis et erethismo, profuturum in haemorrhagiis erethicis, phthisi florida, hydrope erethico et scrofula propria.

ACONITUM NAPELLUS.

Extractum e succo hujus herbae paratum in morbis variis pertinacissimis chronicis solamen auxiliumque afferre efficacissimum; horum e numero potissimum rheumaticos et anthriticos esse, qui

ipsi subinde longo temporis spatio durarunt, uni loco affixi, cruciatus dirissimos, cum impotentia motus et saepe intumescentia partis cientes vimque aliorum remediorum eludentes, MURRAY, III. pag. 14. l. l. nobis auctor est remque historiis STÖRCKII felicis curationis aliorumque et Suecorum et Germanorum auctorum probat; quibus relatis: » possem (sic pergit pag. 17.) si opus esset, plura rheumatismi exempla curati etiam ex propria experientia addere et nominatim ischiadis nervosae, cujus ante paucos annos tormenta atrocissima ipse sensi, sed vesicatorio et napello brevi discussa." Curare autem crisi per sudores universales, topicos; nonnunquam solvi morbum, sine crisi, aliquando pruritum molestum et pustulas rubicundas, acri humore plenas, subsequi, aut desquamationem totius cutis: esse, quos et lotii copiosiori profluvio, vel citata alvo judicat. Stirpem hanc commendabilem maxime reddi celeritate, qua effectum suum edit, dum nimirum aegros, plures per menses immo annos doloribus afflictos, et libero partium exercitio privatos, intra paucos dies levat, quin sanat idque cum constantia: nec tamen ab altera parte exempla deesse tentaminum frustraneorum. Asthmaticis etiam opem spondere, ex rheumatismo ita factis, et tophis tum arthriticis, tum syphiliticis discutiendis ulceribusque obstinatis sanandis profuisse, idem docet.

VOLTELEN pariter in rheumatismo juvare, prae-

ter laudata, tam medici Angli Fordyce, quam praeceptoris Gaubii testimoniis confirmat additque connubium cicutae praestitisse quandoque, quod neutrum seorsum adhibitum efficere potuerat. Richterus vero commendavit inprimis solutionem extracti in essent. antim. Huxh., antirheumatici titulo.

Praesertim in paralysi rheumatica, aut ubi cum rheumatismo chronico tumores et torpores paralytici notentur, probat Voigtelius: aliasque neuroses ex rheumatum genere sustulisse: cardialgiam rheumaticam, prosopalgiam, amaurosin, enuresin noviterque in prima phthiseos pulmonalis periodo laudasse Buschium, scribit.

Richter in metrorrhagiis ex rheumatismo concitatis et ex refrigerio renovatis, Berendsio auctore, celebrari, adnotavit et circa ipsius in cachexiis et dyscrasiis corrigendis efficacitatem animadvertit, in syphilide cum arthritide composita, in morbo mercuriali, sub specie rheumatismi prodeunte, in blennorrhoea rheumatica, in scrofulis, impetiginibus, rheumaticis, arthriticis adfectibus salutem promittere inque phthisi pariter rheumatica, neurosibus rheumaticis: cujus verosimiliter generis etiam fuere ophthalmiae, hydropes caet., quibus mederi, auctoribus medicis visum est.

Habetis epitomen observationum medicarum de aconito: quam agite videamus, quomodo explicet pharmacodynamice. Itaque Vogtius, quae fuerat Jo. Ad. Schmidt hypothesis, aconitum praecipue

textum fibrosum, cutim et mucosam pulmonalem, minus vero lymphaticorum, aut glandularum genus invadere, jam experientia comprobari, monet. Esse caeterum cicutae adfine, acrimonia majori, minori virtute narcotica praeditum: hinc malo inveterato pertinaci usuque protractiore proficuum.

Hisce subjungit chymia, praecipuam vim esse ab alcaloïdeo peculiari *aconitino*: et botanice, plantam pertinere ad ranunculaceas acres, causticas, virulentas.

Phoebus dosin determinat ad gr. j extr., majori etiam, ubi dolores osteocopi mitigandi, et mixturam proponit cum vino stibiato, aut colchico. Caeterum in connubio sulphuris, antimonialium, guajaci praescribi a medicis practicis solet.

Nonne in hydrope, aut cordis adfectionibus rheumaticis cum digitali componi utiliter posset?

CICUTA. — CONIUM MACULATUM.

Joh. Jac. Wepferus, in historia cicutae aquaticae exposuit veneni vires, exemplo puellarum et puerorum, qui de radice avide comederant, rati pastinacam luteam esse. » Jacobus Maeder, puer sex annorum, capillis albis praeditus, tener, vegetus tamen, domum rediit hilaris ac subridens, quasi re bene gesta; paulo post conquerebatur de

praecordiorum dolore et vix verbum effatus, humi prostratus, urinam magno impetu ad viri altitudinem eminxit; mox terribili aspectu, cum omnium sensuum abolitione convulsus fuit, os arctissime clausit, ut nulla arte aperiri valuerit, dentibus stridebat, oculos mire distorquebat, sanguis ex auribus promanabat: circa praecordia tumidum quoddam corpus, pugni virilis magnitudine patris affecti manum et miserandi pueri praecordia, maxime circa cartilaginem ensiformem validissime feriebat: singultiebat crebro; vomiturus quandoque videbatur, nihil tamen ore arctissime clauso ejicere valuit: artus mire jactabat et torquebat, saepius caput retrorsum abripiebatur totumque dorsum incurvabatur in arcum, ut puellus subtus per spatium inter dorsum et stratum inoffense repere potuisset. Cessantibus convulsionibus, per momentum matris opem imploravit: mox pari ferocia illis redeuntibus, nulla vellicatione, nulla acclamatione, nullove alio ingenio excitari poterat, donec viribus deficientibus expalluit et manu pectori admota exspiravit. Durarunt haec symptomata vix ultra horam dimidiam. Post obitum inprimis abdomen et facies intumuerunt absque livore, nisi pauco circa oculos conspicuo. Ex ore cadaveris usque ad horam sepulturae spuma viridis largissima emanavit et quamvis saepius a patre moestissimo detersa fuisset, mox tamen nova succedebat.

Catharina, Jacobi soror adultior, postquam frater convelli coepit, ad patrem non procul a pago arantem properavit fratrisque infortunium indicavit ac patrem domum festinantem concitato cursu sequuta est. Post fratris obitum post fornacem sedens et ipsa se male habere querebatur. Vix dimidia hora elapsa manipulum integrum radicum devoratarum evomuit: mox epilepsia vera corripiebatur, cum sensuum omnium abolitione et terrifica capitis, artuum et totius trunci succussione et torsione. Pater ipsi os clave effregit et theriacam venet. aceto solutam infudit, unde iterum manipulum harum radicum evomuit. Postea horis 24 ceu mortua in lecto jacuit, brachiis compositis et pedibus quietis; dentibus tamen subinde stridebat, subinde quoque inclamabat matrem; quando vero mater responsum dederat, aut ipsam alias alloquebatur, puella conticuit, nec audire videbatur: novem horis puellam plane emortuam parentes crediderant, facies enim cadaverosa et respiratio ipsorum opinione insensilis erant extremaque frigebant: imo parentes adhucdum illam vere mortuam opinantur et vitam se voto nuncupato debere persuasae sunt. Post horas 24 ad mentem rediit: at diu ob linguam morsu vulneratam commode nequiit edere: diuque de praecordiorum dolore querebatur; obambulavit quidem, sed per quatriduum delassata. Nunc bene valet nullaque labes in visu, quamvis convulsiones oculos graviter

torserint et propemodum extra orbitam expulerint, nec in auditu animadvertitur. Est carnosa, vegeta, nec quicquam imbecillitatis in hunc usque diem passa est, ac si nunquam de radicibus istis comedisset.

Maria, annorum duorum cum dimidio comedit quoque de radicibus, sed parciore manu: itidem epilepsia corripiebatur, sed non tam atroci ac frater et soror. Pater ipsam ulnis gestans a tumore intra praecordia sensit magna vi, ceu a pugno, diaphragma percuti, unde singultiit, ejulavit, facies erubuit; mox os strinxit, artus jactavit sensusque amisit. Vi ore aperto et theriaca aceto soluta ingesta, manipulum dimidium harum radicum evomuit. Intra horas octo penitus convaluit: die sequente obambulavit comeditque, carnosa et robusta est, nec quicquam adversi hactenus passa est.

Matthias Graff, puer annorum octo, Jacobo Maedero ad extremum usque halitum adstitit ac sese quoque radices comedisse jactavit, nec tamen quicquam incommodi inde se sentire gloriabatur. Postquam vita defunctum socium vidit, domum suam abiit; antequam paternas aedes attigerat, super lapidem sedere prae quadam vertigine cogebatur; vix subsidit, pronus in faciem ruit: sine ullius ope surrexit et ceu temulentus domum properavit ac in scamnum prope fornacem decubuit: mox inde a motibus convulsivis in pavimentum hypocausti, distantia passus, praecipitatus fuit.

Iterum surrexit atque per aliquot passus vacillante gressu incedit et post mensam scamno incubuit, inde rursus subtus mensam dejectus fuit: protractus terribiliter convellebatur cum arctissima dentium constrictione. Imprimis aspectu horribilis erat opisthotonus: dum cultri manubrio quidam astantium dentes deducere conabatur, aliquot dentium fracti fuerunt. Infusam theriacam aceto solutam ob gulam pertinacissime occlusam deglutire nequiit. Corpus intra praecordia tumidum vehementissime et validissime diaphragma percussit, ut a manu viri robusti nec reprimi, nec impediri potuerit, cum singultu quodam sonoro. Paroxysmus iste epilepticus tanta violentia ad dimidiam horam sine ullis induciis continuabatur: nihil neque per vomitum, aut secessum excrevit, neque eminxit; donec viribus exhaustis exspiravit. Post obitum abdomen et totus habitus intumuit, ut vestibus exui nequierit: spuma viridis larga ex ore indesinenter emanavit, donec terrae credebatur. Facies circa oculos livescebat: in reliquo corpore, praeter inflationem nihil observabatur.

Christina Grafin soror, annorum novem, de radice quoque, sed parce comedit; quod primum negaverat. Ad vesperam usque nihil mali passa est: nocte ingruente post fornacem sedens sibi aegre fieri et cadendum esse dicebat et radices se quoque devorasse fatebatur indeque circa praecordia dolere, cum sensu punctionis et ardoris ibidem;

postea convellebatur. Pater harum calamitatum ignarus opportune vesperi domum rediens foliaque tabaci minutim concisa in promptu habens, quantum duo acetabula fistulae, qua ejus fumus hauritur, capiunt, aquae fontanae permiscuit ac dentibus vi diductis puellae infudit, unde liquorem infusum cum radicibus mox violentissime evomuit: in lectum reposita quievit, post brevissimam quietem esuriit, cibum petiit sibique bene esse dixit: attamen pater radicum reliquias superesse suspicatus, cibum denegavit, interea vero eandem dosin foliorum tabaci aquae fervidae per horam dimidiam infudit et colatum liquorem ebibendum porrexit, unde iterum non sine violentia mucum et bilem sine ullis radicum reliquiis evomuit, jejuna tota nocte dormivit, mane laeta surrexit, obambulavit et hucusque sanissima vixit.

Martini Mulleri filia et Georgii Maureri duae filiae gemellae, annorum quinque, de his radicibus quoque comederunt, sed parca manu. Tres istae epilepsiam, sed mitiorem passae sunt. Data theriaca in aceto soluta omnes vomuerunt et brevi penitus convaluerunt."

Hae observationes docent, non tantum cerebrum, sed spinae medullam quoque hoc venenum invadere. Caeterum symptomata spinalia symptomatibus cerebralibus non antecedere, verum subsequi videbantur: ut post cerebrum adfectum demum medulla spinalis videatur laedi; inque examine post

mortem illo, quod retulit ORFILA, II. pag. 432 sq. manifesta erant apoplexiae cerebralis indicia.

Acrimonia superat conium maculatum, quocum caeterum dotibus convenit, ut vix nisi usu externo adhiberi soleat. Monet autem ORFILA, icones cicutae virosae, in Gallia editas, non hanc, sed cicutam maculatam Americae septemtrionalis, in hortis botanicis cultam, repraesentare atque extracta venalia, quae prostant, vulgo aut parum efficacia, aut enertia esse.

Ex phaenomenis observatis pharmacodynamice concludit, omne genus nervorum, qua late patet, in peripheria, nervis splanchnicis, cerebro et medulla spinali prehendi hoc toxico, sensu motuque paralysi tactis.

Ipsum autem conium neque titulo narcotici, neque titulo antispasmodici administrari, verum titulo antistrumosi, antiscirrhosi solet.

Quocirca de iis, quae huc faciunt, experimentis et observationibus breviter videamus.

Eam vim notam potissimum fecit STÖRCKIUS, qui in scirrho et cancro aliisque indurationibus, tum in ulceribus multisque chronicis ejus dotes singulares celebravit, consentientibus aliis medicis Vindobonensibus nostroque SWIETENIO, qui *Comment.* IV. pag. 227 et 642: »debemus, inquit egregio archiatro STÖRCK, quod absque noxa, etiam satis magna copia dari possit cicuta, et tam interno, quam externo usu capta cancro domando prosit egregie."

Alios tamen nacta est adversarios cicuta nostrumque etiam DE HAEN, cui suffragatur VOLTELENUS: sibi ex numerosis tentaminibus propriaque observatione apertum videri, neque veris scirrhis resolvendis, neque cancro persanando par esse remedium, imo vero saepius etiam nocuisse; non vero ab altera parte diffitendum, vi resolvente insigni pollere cicutam, simulque certis quibusdam acrimoniis, nominatim scrofulosae emendandae maxime esse idoneam. — » Infarctus viscerum (sic pergit) inprimis scrofulosae labi sociatos et indurationes glandularum ex eadem causa natas, etiam illi testantur cicuta sanatas, qui caeterum minus ei favent. Nonnulli in deglutitione impedita a glandularum obstructione utilem cicutam invenerunt; inque ulceribus tantae malignitatis, ut pro vero carcinomate fere imponerent. Nec minus in cutaneis vitiis efficax habenda est cicuta. Cl. MURRAY in tinea capitis, frustra quibusvis tentatis remediis, cicutae herba sacco inclusa et aquae incocta, una cum interno usu extracti sanationem obtinuit. Nec minus notabilis est cicutae effectus in spasticis nonnullis affectionibus dolorificis: in illa impeditae deglutitionis specie, quae ex spasmodica contractione gutturis, oesophagi, cardiae haud infrequenter producitur. Inque similibus spasmis maxillae, colli etc. utiliter admovetur: immo sublatae epilepsiae exemplum prostat" III. pag. 146 sqq. Quae omnes, utrum ex scrofulosa dyscrasia natae fuerint,

jure merito quaeri posset.

Postquam igitur initio magis universe in scirrho indurationibusque a Störckio fuisset praedicata cicutae virtus, posterior aetas adcuratius eos tumores, qui ex scrofulosi nati fuerunt, indicavit, tamquam per cicutam solvendos: deinde ad alias quoque morborum formas, quibus eadem subesset cachexia scrofulosa adhibuit, sive viscerum, seu cutis vitio, sive nervorum adfectibus sese manifestaret.

Nova hujus virtutis antiscrofulosae testimonia protulit Voigtel, scirrhum ventriculi, prostatae, oesophagi adtinentia. Praeterea in atrophia, ictero, syphilide glandulas invadente (id est cum scrofulosi composita) blennorrhoeis, neurosibus, tussi ex morbillis superstite, phthisi scrofulosa, prosopalgia Fothergillii ejusdem originis praedicat.

Richter in tuberculosa phthisi nisi fructuose, at tuto tamen posse praescribi, quia inflammatio ex ea haud est metuenda, monet; nec inutiliter in scirrho uteri et mammarum fuisse, tum interno tum externo usu, adhibitam. Etiam profuisse in scrofulosa photophobia, amaurosi, atrophia, febre hectica, ad emendandam puris secretionem, in dyscrasia herpetica inque hypochondriasi, hysteria, epilepsia, adfectis simul glandulis abdominalibus, in tussi quinta, asthmate, vomitu chronico, caet.

In adpendice (*Supplem. B.* pag. 372.) citat exemplum atrophiae glandulae mammariae per eam

provocatae aliaque sanati carcinomatis uterini sanataeque superstitis ex peritonitide indurationis in abdomine notabilis.

Esse igitur remedium efficacissimum antiscrofulosum, traditione medica docemur, variis morbi scrofulosi speciebus oppugnandis aptissimum; in quo recentior chymia detexit alcaloïdeum volatile Dierbachio dictum, quod omnibus herbae recentis partibus inest, coniini sive conicini nomine vocant, spinae medullam potissimum adficiens: quocum jungitur oleum aethereum sive aroma, ex quo hypnotica, anodyna, ut ab alcaloïdeo narcotica, venenata potestas penderet.

Fertur parca dosi circulationem retardare, majori sanguinem in cerebrum congerere et somnum facere comatosum: etiam cutim incitare, ut non tantum diaphoresin, verum et exanthema peculiare moverit, guttae rosaceae aequiparandum. Esse autem creditur anodynum et antispasmodicum, diaphoreticum, resolvens: praecipue vero in partem medullae motoriam efficax et prius quidem in inferiorem, quam in superiorem.

Suspicatur, idque jure suo Pereira, hanc plantam per omnem nutritionem vitaeque organicae munera quam latissime patentem eamque alterantem vim exercere, quam antiplasticam nuncupare lubet, quamque additis mercurio, antimonio, muriate barytae acuimus: sique et meam experientiam consulo, aliorum experientiae consentientem,

equidem habeo maximam. Eam autem si experiri, vobisque ipsis probari, cupiatis, utendum est extractis, non vulgaribus istis, vappidis, inertibus, sed tum ex Germania advectis, tum recentibus et probe paratis. Eorum enim efficacitas quantopere differat, discite ex ORFILA.

Hujus autem probe parati et laudabilis extracti dosis sit gr. j saepius, id est ter quaterve de die sumendi citoque augendi. Duas formulas tradidit PHOEBUS: alteram pilularum, alteram mixturae II. pag. 189. N°. 366 sq. duasque cataplasmatum ex herba ibid. pag. 250. N°. 452 sq. Icones hujus et adfinium plantarum dedit HAYNE l. l.

PULSATILLA NIGRICANS.

Celebrarunt hoc venenum in amaurosi, paralysi STÖRCKIUS pridem: in arthritide, rheumatismo, tussi quinta, recentiores nuper. Priorem laudem recentiorum experientia comprobatam esse, negat RICHTERUS: posteriorem, usum nimirum in tussi quinta, novo testimonio firmatam ostendit idem, quod docet extr. pulsatillae in tussi quinta efficax fuisse, postquam opium et belladonna fere nihil praestiterant. Interim infantibus tuto dari posse dubito, neque priores quoque remedii praecones exhibere ausi sunt, ante alterum annum exactum.

NICOTIANA.

De usu diaetetico dicere nil adtinet. Usu therapeutico in ileo post venaesectionem inque hernia incarcerata extollunt SYDENHAMUS et HAENIUS. Nocet, ubi inflammatio, aut caussa incarcerationis invincibilis. Potens vero in colica spasmodica, quam difficilis alvi obstructio plerumque comitatur. Efficacissimum ad resuscitandos aqua suffocatos est, non neglectis tamen reliquis subsidiis, testibus TISSOTO et HAENIO. Hisce a celeberr. MURRAY de usu nicotianae prolatis subjecit VOIGTELIUS, formulam. infus Fowleri ex unc. j folior. siccat. infund. ad col. unc. xij col. add. unc. ij sp. vin. 2 dd. gtt. xx—c ad urinas pellendas in hydrope et dysuria calculosa: nec non vini et tinct. ejusdem pag. 308. Etiam extr. memoravit et ung. nicot. Jouberti, illud ad asthma, hoc ad tineam, herpetem caet.

Recentiores, RICHTERO praecipiente, in hydrope ob magnas, quas requirit hoc remedium cautiones, illud neglexerunt. In urinarum retentione spasmodica praesertim, eodem auctore, profuisse videtur, eodem antispasmodici remedii nomine, in diabete mellito experiundum esse, opinatur.

In tetano salubre experti sunt Angliae medici, praecipue in India. Nec reticendum tamen, ab

aliis reprobari usum nicotianae therapeuticum.

Exempla mortis per eam inductae collegit PEREIRA: tum pueri, cui ad tineam curandam succus expressus capiti erat admotus, tum aliorum, quibus enemata sive ex fumo, sive ex infusione erant injecta. Eapropter parciori dosi tentandum est: ℈j unc. vj aq. bullientis.

VOGTIO interprete, systematis motorii paralysin facit, medullae spinalis resolutione et nervorum quoque sympathicorum ipsiusque plexus cardiaci.

Experimenta suadere videntur, cordis paralysi necare nicotianam. De veneficiis cff. ORFILA et CHRISTISON ll. ll.

PHOEBUS varias notavit parandi formulas: infusi, enematis, balnei, fomenti, lotionis, fumigationis, moxae; tinct. Fowleri. Ad corrigendum saporem proponit elaeosacch. amygdal. amar. gtt. j ad sacch. dr. ij — unc. β. In morte adparente enema cum valer. et aceto, in tinea capitis lotionem ex nicot. fol. et herb. con. macul., secundum praescriptionem Wenzelii, exemplorum gratia exhibet; ad herniam incarceratam form. Richteri ex nicot. et rheo.

Circa usum nicotianae tum internum, tum externum, notari meretur, a parciori dosi semper esse incipiendum: siquidem magna animadvertitur idiosyncrasiae respectu hujus pharmaci discrepantia, ita ut facile sive ore, sive ano ingestum, seu cuti admotum possit paullo majori dosi nocere; adtendendum esse

praeterea ad ipsam plurimum variantem herbae, soli, climatis aliarumque rerum ratione, efficacitatem. Quae si cognoscere cupiatis, auctores de toxicologia, pharmacologia, therapeutice adire oportebit, inprimis viros peritissimos ORFILA, CHRISTISON, PEREIRA, quorum scriptis plura continentur, quae hujus loci sunt quaeque medicos in nicotiana administranda facient cautos. In morbis phlogisticis quoque ob vim sedantem fuisse administratam, nonnulli referunt, verum successu parum laudabili, quemadmodum ipse testatur PEREIRA, qui eam ob caussam, postquam hoc consilio administraverat saepius, deinceps ab ea abstinuit.

RHODODENDRON CHRYSANTHUM.

Per virum celeberrimum PALLAS innotuit. Ipso medici utuntur in doloribus rheumaticis et arthriticis (MURRAY, *App.* VI. pag. 78.) Etiam in paralysi rheumatica (RICHTER II. pag. 803.) ejusdemque originis intestinorum acutis morbis, eodemque fine et rhododendron ferrugineum adhibitum. In Anglia non successisse fertur (THOMSON l. l.)

PHOEBUS formulam proposuit ex fol. dr. ij aq. comm. ferv. unc. iv tinct. arom. dr. j o. trih. cochl. Antiquiores formulae traditae apud MURRAY l. l. ab hac differunt: prior Kölpini sequens est: stip. et fol. rhodod. dr. ij inf. c. aq. fontan. unc. ix stent

in digestione in vase bene obturato per horas xxiv ad ebullitionem usque, col. D. S. cap. cyath. ½ bis dd.; posterior a Demidof: fol. unc. ij sp. gall. et vin. hispan. āā ℔ β per duas hebdomades infundendo parata et cum decocto residui in libra una aquae diluta: ad cochlearia quinque mane.

Vogtio pharmacodynamice hujus plantae incognita ipsaque absoleta habetur. — Hayne X, 27.

RHUS TOXICODENDRON.

In paralysi chronica, amaurosi, impetigine rebelli, dosi paucorum granorum adhibitum. Acrimonia inflammat cutim. Remedium incertum ideoque fere relictum, quia ne de dosi quidem inter medicos constat. Primum in impetigine pertinaci (herpete) a. 1788, exinde nuper in paralysi laudatum est.

Caeterum cf. de hoc veneno Orfila l. l. II. pag. 115 sqq.

STIPITES SOLANI DULCAMARAE.

Linnaeus curationes memoratu dignas citat efficaciae in rheumatismis varii generis, doloribus osteocopis, ictero, scorbuto, lochiis et menstruis suppressis, contusionibus, sugillationibus, scabie,

lue venerea, ex propria ill. viri et SAUVAGESII experientia, qui Suecum, Monspelium curationis luis caussa profectum, ex consilio LINNAEI olim dato, dulcamara sanavit. Cf. MURRAY l. l. I. pag. 424 sq. Ad pleuritidis et peripneumoniae nothae curationem extulit BOERHAAVIUS. Contra phthisin plures medici celebrant. Nec latuit haec vis BOERHAAVIUM, dissuadentem tamen, sudoribus nocturnis sese manifestantibus. In spasmis et convulsionibus quoque confert, teste HAENIO nostro, *Rat. Med.* IV. pag. 247.

Efficax planta, auctore VOLTELENO I. pag. 212, aperiendo, resolvendo, mundando per sputa, lotium, sudores, menstrua evacuando: qui eximiam dulcamarae virtutem observationibus confirmasse ALTHOF notavit.

VOIGTEL nova testimonia adferens efficaciae in rheumatismo chronico, praecipuam ejus laudem esse curandi impetigines subjungit; atque universe opitulari docet in secretionibus abnormibus, ac turbato munere lymphaticorum III. pag. 251, nec minus profuisse in morbis ex rheumatismo et impetiginibus subito suppressis: ophthalmiis, amaurosi, surditate etc. juvare praeterea, torpente n. sympathico et stasi sanguinis abdominali, ictero, chlorosi, menostasia, convulsionibus, spasmis, epilepsia aegrotantes.

RICHTERUS etiam in morbis cutaneis chronicis praesertim celebrari hanc plantam, monet, iisque

herpeticis, et ex iisdem suppressis orta opthalmia, amaurosi, surditate, testantibus WILLAN, BATEMAN, SPRENGEL, quorum hic cum cort. ulmi campestr. et herb. jaceae praescribendam, BATEMAN etiam lotionem adhibendam, docent: in syphilide laudari, adfecto sive per hanc, sive per mercurium nimium, genere lymphaticorum. Praeterea, propter vim in mucosas, in blennorrhoea vaginae, pulmonum, phthisi pituitosa, catarrho chronico, asthmate pituitoso, blennorrhoea urethrae herpetica, in scrofulosi, cum statu mucoso, ulceribus, exanthematibus chronicis convenire iisque neurosibus, sub forma epilepsiae, paralysis caet., quae rheumaticae originis, aut psoricae sunt: denique in tussi quinta cum statu mucoso ventriculi et intestinorum profuisse, inque Polyclinico Berolinensi fuisse adhibitam utiliter.

Ecce praecipuas traditiones therapeuticas de dulcamara, quas ita interpretatur theoria pharmacodynamica, ut sarsaparillae aliisque ejusmodi humorum crasin corrigentibus aequiparet remediis, incitans lymphaticorum et glandularum et membranarum mucosarum et serosarum functiones: eaque propter convenire, praecipue in chronicis alteque radicatis morbis plasticis, sive magis, seu minus vitam nervorum turbent. In ea autem duo esse principia copulata: acre narcoticum, solaninum, et picroglycion, sive amaro-dulce, quo ultimo et humoribus facile adsimilatur et tonica vir-

tute prodest: praecipuam vero relationem habere ad pulmones et cutem.

Equidem crebro hac medicina usus sum, mihique se efficacissimam declaravit in morbo scrofuloso, simul adfecto systemate cutaneo, sive exstarent exanthemata scrofulosa, sive essent revocanda.

Saepius quoque in bronchitide chronica adhibui utiliter, semel hoc remedio phthisin sanavi, ex catarrho neglecto natam, motis per eam sudoribus perque dies aliquot sustentatis; quibus morbus ille phthisicus in rustica femina quadragenaria, quae mortem minitari videbatur, satis brevi temporis spatio perfecte fuit ablatus. Erat autem cutis arida in hac muliere et pallida subflavescens, tussis gravis, molestissima, dies noctesque urgens, corpore extenuato. Mihi remedium habetur ad acrimoniam a perspirabili retento auferendam valentissimum inque exanthematibus scrofulosis natisque ex iis morbis, sive neurosibus, sive aliis, cum nullo alio comparandum: quodsi pariter in syphilide aliisve cachexiis juvaverit, juvasse crederem sive in complicatione, aut compositione scrofulosa, sive laesa cutis functione ac sanguine materia perspirabili impraegnato.

Phoebus in pulvere exhiberi, bolis, electariis, infusione, decocto, scribit, aut ebullitione, decocto ad dr. ij, iv, vj. cum unc. viij, aut x vj, ad unc. vj aut x ij, addito lacte subinde: ac pro

lotione unc. β — j. cum unc. 8 — 6. MURRAY I, pag. 426. modum exhibendi sic tradit: stip. siccat. et concisor. pugillus sive drachmae duae, vel quatuor infundantur cum aquae bullientis libra una, quae post moram semihorii per octavam horae partem una ebulliant. Hujus decocti modice frigefacti mane et vespere duo vasa pro thea ingerantur. Initio decoctum temperetur pauxillo lactis, quo stomachus illud melius ferat. Dein hoc connubium omitti potest. Haec LINNAEI formula. Alii placuit stip. rec. dr. β. cum aquae simpl. unc. 16 coquere, donec dimidia pars consumatur: cujus colat. cyathus cum parte aequali lactis vaccini tenuis omni quarta hora propinatus sensimque praebium ad dr. iij — iv. auctum; sic neque alvum, neque lotium movit. Ego vel in specie dare pro thea cum glycyrrh. rad. aut bardanae, interdum cum herb. jaceae, addendo lactis pauxillum, vel in infusione dr. ij — unc. β. ad colat unc. xij, soleo, c. rad. glycyrrh., alth. officin., lichen carachen. similibus: aliquando etiam cum sp. minder et rob. samb. ad sudores efficacius proliciendos.

DE NARCOTICIS UNIVERSE.

Post expositam narcoticorum singulorum historiam, de universis licebit disserere, ac primo de

divisione, tum de pharmacodynamice, denique de compositione ipsorum breviter agere.

Itaque primo distinguunt et recte inter narcotica pura et narcotica acria. Illa vim habent sedandi: haec praeter hanc acri principio instructa sunt. Discernunt alii tria genera: narcotica pura, narcotica amara, narcotica acria. Prioris generis duo subgenera faciunt: narcoticorum phlogisticorum; quo belladonnam, stramonium, opium referunt; narcoticorum antiphlogisticorum, quorsum pertinent acidum hydrocyanicum, quaeque hoc continent: laurocerasus, amygdalae amarae, caet.

Narcotica pura cerebrum sopiunt et sensus, qualia sunt: opium, lactuca, hyoscyamus, belladonna, stramonium caet. Narcotica amara et acria per principium amarum et acre adficiunt nervos, uti: nux vomica, quae ad priora; ac digitalis, cicuta, aconitum, nicotiana, pulsatilla, quae ad posteriora pertinent. Opinantur nonnulli narcotica specificam et peculiarem vim exserere in varias regni nervorum provincias: opium in hemisphaeria cerebri, belladonnam in corpora quadrigemina, stramonium in cerebellum et medullam oblongatam: belladonnam et hyoscyamum in nervos ciliares et pupulam: utrumque in nervum vagum; digitalem et nicotianam in plexus cardiacos et vasorum nervos; stramonium in nervos genita-

lium; nucem vomicam et strychninum in nervos motorios medullae spinalis. Etiam in ipsis narcoticis discerni volunt principium sedans a principio excitante, quo vel pura narcotica quaedam gaudent: in opio v. c. resinosum principium, quod alcohole solvitur et incitat, a principio narcotico, quod inest extracto aquoso. Verum paullo diutius hisce immoremur, quo adcuratius ea cognoscamus.

Laurocerasus sanguinem subire, alterare, sicque in melancholia inque neurosibus ex constitutione venosa oriundis profuisse, medicorum practicorum traditio videtur: iisque praesertim mederi, quae ad nervi vagi provinciam pertinent; hyoscyamus neurosibus a cerebro oriundis, aut in hoc reagentibus: doloribus v. c.; belladonna in sensorium, nervum vagum et nervos ciliares, simul concitando renisum vasorum et congestionem cutaneam. Stramonium in neuralgiis rheumaticis, lactucarium in spasmis pectoris cordisque. opium adversus erethismum nervorum et ex hisce provenientes sive neuroses, sive phlogoses, seu morbos chronicos. Ab opio quatenus distet, aut quatenus cum eo conveniat crocus, arduum est explanare; exhilarare credebant veteres, recentiores in aliis alii laudant morbis, praesertim a menostasia cutisve turbata functione. Nuces vomicae nervos medullae excitant motorios inque paralysi artuum ex abdominis neurosibus proveniente prodesse videntur. Digitalis

purpurea plexum cardiacum sopire, stimulare contra genus absorbentium fertur; aconitum paralyseos rheumaticae remedium esse: arthriticis quoque proficuum, existimatur. Stipites solan. dulcamarae et pulmonum et cutis aegrotantis medicinam habent. Conium maculatum denique et cicutam aquaticam praecipue vitam plasticam mutando prodesse opinantur inque morbis scrofulosis potenter alterare ac solvere, arbitrantur medici.

Sic breviter repetii, quae amplius exposui in historia singulorum narcoticorum tradenda: quae indicare videntur, proprias singulis esse dotes, propriis morborum generibus adcommodandas, quas qui exacte cognoscere et administrare cupiat, saepenumero componere debebit ac diversimode miscere, tum secum invicem, tum aliis cum remediis, ex alio genere medicinae ducendis: idcirco de hisce connubiis nonnulla monenda supersunt.

Itaque cum aqua laurocerasi utiliter cicuta componitur, ubicunque in morbo scrofuloso potenter resolvendum, sive alterandum sit. Hoc quoque fine nonnulli aconito cicutam admiscent. Posset, si simul incitanda foret vasorum reactio, belladonna cicutae addi, quo connubio in cataplasmatum specie componenda saepius utuntur. Tamquam hypnoticum, ubi ab opio reformidant metuuntque incitationem et orgasmum, vel lactucarium proponi, vel hyoscyamus solet. Quodsi opii

virtus cardiaca acuenda sit, addunt crocum; si cor sedandum, digitalis idonea est, cui subinde utiliter hypnoticum subjungunt, quo consilio sive hyoscyamus, sive lactucarium aut extr. lactucae virosae cum digitali copulari posset (*). Morbo scrofuloso, uti cicuta opponitur, ita si revocanda sint exanthemata: tinea capitis v. c. dulcamarae virtute adjuvari debebit. Sin rheumatismus chronicus, aut arthritis inveterata aegrum prehenderit scrofulosum, copula cicutae et aconiti apta habebitur. Sunt, qui aconitum cum opio, aut pulvere Doveri componunt, ad diaphoresin promovendam. Sunt, qui cum digitali miscent opii extractum aquosum, aut acetat. morphii, ubi, ne nauseam moveat illa, timetur: tutius foret, vel papaverina, diacodiata, vel lactucarium, aut similia leniora seligere, si erethica magis conditio majorque renisus vasorum: in hoc casu aquam laurocerasi nonnulli forsitan praeponerent, propter vim remedii antiphlogisticam. Certe in morbis phlogisticis vel hanc, vel hyoscyamum, vel lactucarium reliquis antecellere censeo; opiata vero tum demum profutura crederem, quum ex erethismo subnascens orgasmus et phlogosis refraenandae sunt. Utilia nucum vomicarum cum aliis connubia nondum hactenus

(*) Hujus connubii nuper in hydropericardia miram prorsus expertus sum salubritatem.

pro rei dignitate satis explorata sunt. Facit certe virtus earum peculiaris, incitans medullam spinalem hujusque nervos motorios spem fructuosae compositionis in morbis paralyticis, cum erethismo nervorum sensus, aut cum adfectibus scrofulosis, rheumaticis, arthriticis, sive ab opio addito, sive ab hyoscyamo, sive a conio maculato, sive ab aconito, extracto nucis vomicae adjectis: nec non a digitali, siquando cum paralysi spinae sit cordis erethismus conjunctus. In hisce (nucibus vomicis videlicet) principio narcotico acri principium amarum cum adsit, non tantum intelligitur, cur intestinorum neurosibus mederi interdum deprehendantur, verumetiam exemplum nobis obfertur copulae remedii acris narcotici cum remedio amaro, quod imitari aliquando juvabit.

Denique animadvertendum est, differre plurimum remedii doses ac dosium variarum vires, ita ut opium plena dosi datum longe aliter agat, quam parva: hac autem tamquam adjuvante, aut aliorum medicaminum, tam corrigente, quam acuente medicina, in morbis febrilibus persaepe feliciter uti medicos et si duo copulentur heroica: aconitum v. c. et cicuta, singulorum doses exacte computandas esse, ne noceat duplicata veneni potestas: nec negligendam esse eam vim cumulativam, quam quidam notaverunt, quae in digitali maxima, ne ab aliis pluribus quidem abest: ne sci-

licet ab remedio parum caute administrato, subito, nec opinato enascantur symptomata veneficii; id quod medici practici quandoque et suo et aegrotantium damno observaverunt. Quocirca doses non cito nimis repetendas, nec diutius, quam par est, praebendas esse, vel me non monente, tenebitis.

RESINOSA.

RESINOSA PURA.

PIX.

Infusum picis liquidum, vel aqua picea, cujus parandi modum tradit MURRAY l. l. I. pag. 8. inclaruit laude Anglorum Episcopi BERKELEY et PRIOR v. cl. in variolis praecavendis, mitigandis; in scorbuto et rheumatismo. Meminit quoque MURRAY pilularum picearum ex pice liquida et pulvere rad. helenii. Harum pilularum (*) salubritatem in phthisi scorbutica expertus sum. Fumigationes sive vapores piceos laudarunt in phthisi pulmonali. RICHTERO auctore (II. pag. 121.) experimenta in nosocomio Berolinensi facta horum vaporum utilitatem probare videbantur. Illud autem, quo modo effici possit ex relatione eorum, qua constat ex aegris 54, duntaxat 4 fuisse sanatos, 6 emendatos, dum 16 morbum nihil mutatum, 12 eundem exaspera-

(*) Loco pulv. helenii uti soleo pulv. liquiritiae tamquam corrigens et constituens. Requiritur autem, ut massa pilulis formandis idonea habeatur, ingens copia pulveris.

tum ostenderent et 16 mortui sint, equidem non video. Neque aliorum experimenta fuere fortunatiora cum in phthisi ulcerosa magis nocuisse, quam profuisse, testati sint experimentatores. Fortunatior fuit curatio blennorrhoeae pulmonum et asthmatis et catarrhi chronici: morborum igitur pulmonalium atonicorum. Utrum utilitas itinerum maritimorum partim inspirationi aëris navalis, his vaporibus impraegnati, sit tribuenda, quae RICHTERI conjectura est, utique dubium. Externo usu in ulceribus phagadaenicis, sub forma unguenti picis, et in tinea capitis, sub forma dropacismi solebat adhiberi: hicce hodie fere absoletus est.

GUMMI — RESINAE.

Est tribus medicaminum, gummi ferulacea vocant, ad quam pertinent g. ammoniacum, g. galbanum, g. sagapenum, g. asa foetida, g. myrrha, quae pluribus dotibus conveniunt, aliis rursus differunt ac singulatim cognosci merentur ideoque seorsum, eo quo numeravi, ordine exponentur.

G. AMMONIACUM.

Principe quodam loco inter resolventia calida ab antiquioribus medicis recenseri solebat ac prae-

cipue in tussi pituitosa et peripneumonia remedium haberi opportunum. Quando a stimulo nihil metuendum, elegans connubium esse hujus gummi cum oxymelle scillitico, addita aqua destillata et syrupo, monet celeb. MURRAY, VI. pag. 192. qui, »vereor, inquit, ne ill. CULLEN justo timidior fuerit in administrando eo in scopum expectorantem, calidam ejus naturam accusans." Et mox subjungit, commode quoque in obstructionibus viscerum usurpari, in quibus forma pilularum solum vel in miscela aliorum efficacium, ut extr. taraxaci, vel amari cujusdam, saponis antimonialis etc. adhibetur; nec minoris praestantiae esse in tumoribus frigidis et recentius emplastri ex hoc gummi et aceto vini beneficium in tinea capitis tollenda, constitisse (pag. 194. l. l.) Eodem nomine in obstructionibus hepatis, lienis, mesenterii, uteri, pulmonum, melancholicis, hypochondriacis, cachecticis conducere et abs DIOSCORIDE jam commendatum anhelatoribus, orthopnoïcis, quibusque humor in pectore coit, si cum melle delingatur, praecipit VOLTELENUS usuque externo in hydarthro synoviali tumoribusque duris, scrofulosis a CLOSSIO inprimis laudari, l. l. II. pag. 152 sq.

Adcuratius usum therapeuticum circumscribit VOIGTELIUS, celebrari docens in asthmate humido, catarrho chronico, phthisi pituitosa, hydrope pectoris et recte quidem, si absint febris, congestio, tubercula, ulceratio, haemoptoë: etiam in obstruc-

tionibus stasibusque systematis venae portarum, glandularum meseraïcarum et genitalium: hypochondriasi, ictero, hydrope, catameniorum turbis et haemorrhoidum. In morbis pectoris forma emulsionis, sive lactis ammoniacalis cum vitello ovi, aqua foeniculi, oxymelle scillitico. Protracto usu autem debilitare organa digestionis atque, WICHMANNO teste, nocere oculis. Unguenta denique et emplastra parari cum aceto scillitico II. pag. 294 sqq. Eam ob caussam vetari organorum digestionis debilitate ac mobilitate, RICHTERUS animadvertit. Is minus recte ad tubercula pulmonalia resolvenda utile fore hoc gummi opinatur, rectius magnas cautiones habere cum in pectoris, tum in abdominis morbis ac praesertim in morbo haemorrhoidali. In tinea dropacismo praeponit, simul tamen praecipit, maximopere stimulare, nec raro inflammare et ulcerare partes, quibus admovetur.

Mihi in duobus maxime morborum generibus probatum est: hydrope pectoris et adfectione mesenterii tuberculosa: addito tamen irritationis leniendae caussa extracto glycyrrhizae glabrae satis magna copia. Nec spem fefellit in menostasia chloroticarum, in connubio cum salibus martialibus et extractis amaris.

PHOEBUS dosin definiens a gr. 5 — 15 varias formulas profert: pilularum cum extr. helen. et pulv. glycyrrh., boli cum extr. seneg. et sem. anisi, linctus cum oxym. scillit. et vin. stib., tinct. cum vino

albo; emulsionum cum aq. foeniculi caet. l. l. II. pag. 40. His, quia sapore ingratissimo sunt, possent substitui pilulae, superbibendo lac calidum.

Elicitur haec gummi-resina ex planta, quae dorema armeniacum, ferula ammonifera, peucedanum ammoniacum a botanicis adpellatur estque ex familia umbelliferarum, Persiam et Armeniam incolentium. Ejus principia sunt oleum aethereum, resina, gummi et bassorinum. A priori est odor ammoniaci peculiaris: quod, quoniam minus abundat, quam in aliis adfinibus, magis vero exuberat resina, intelligi, cur minus quidem antispasmodica potentia, quam resolvente, discutiente excellat, animadvertit Dierbachius, simul docens, obscurationem visus post diuturnum usum, quam auctores complures in libris suis adnotarunt, aliis aliorum verba repetentibus, ulteriori probatione egere. Quod etsi non nego, tamen in eam rem animum habere defixum nos omnes, quotquot artem facimus decet, quandoquidem gravissima nititur Wichmanni, auctoris probatissimi, auctoritate. Inprimis acrimonia sua insigne esse deprehenditur, quo irritat mucosas: unde forsitan actio in nervos splanchnicos et per hos in oculi nervos, a Wichmanno observata, repeti posset. Mihi potius titulo alterantis, quam nervini se probavit.

Praecipiente Sobernheim, ab aliis acribus distat, quod non dissolvat, aut infirmet partes organicas earumque metamorphosin debilitet, sed contra in-

citet roboretque et energeiam ipsorum augeat: hinc in blennorrhoeis tunc indicatur, ubi mucus crassus difficulter excreatur: minus vero convenit, ubi muci copia ingens quotidie excernitur, muco neque tenaciori, aut crassiori, neque difficulter prodeunte.

G. GALBANUM.

Hoc, utut ad g. ammoniacum proxime accedit, tamen, propter majorem copiam olei aetherei, calidiori stimulo et odore illud superare, in nervinis adfectibus efficacius, vi resolvente inferius: ideoque malo hysterico mederi, flatus dissipare et dolores intestinorum, exinde ortos, pacare, dicitur; in mensium praeterea retardatione, vel suppressione, modo non ex caussa calida sit, commendabile habetur. Huic veteris traditionis summae, quam scripto consignarunt MURRAY et VOLTELEN, recentiorum subjungemus observata.

VOIGTELIO videtur inprimis efficax in pulmones et genitalia: hinc in catarrhis chronicis, asthmate humido, hydrope pectoris, ex propria experientia commendat: nec minus in menostasia; nocere pariter oculis, ut ammoniacum gummi, ex aliorum testimonio observat.

Ipsius in pectoris adfectionibus usum quod spectat, RICHTERUS in catarrho chronico et asthmate

senum, inprimis mulierum cachecticarum, ammoniaco gummi praeponit: idque eam ob caussam, quod non tam facile atque hoc ipsum digestionem laedat. Ad alterum in menostasia usum, animadvertit, vasorum atonia existente, una cum leucorrhoea, teste JAHNIO, profuturum. Pariter in hysteria et hypochondriasi atonicis praedicat, quum asam foetidam calidiorem magisque ingratam idiosyncrasia non toleret: quo consilio a KAEMPFIO et VOGELIO ad tussin hystericam laudari essentiam galbani Bernhardi, cujus formulam tradit, ibidem II. pag. 36. Denique in arthritide et rheumatismo chronico a praeconibus celebrari: quâ in re desideramus auctorum testimonia.

Recte intermedium inter g. ammoniacum et asam foetidam, utraque oleo athereo superans, censetur.

PHOEBUS, II. pag. 229. sub num. 434. citat pilul. resolv. Heimii, quas qui ferant ventriculi diu, paucos fore arbitror.

Pars est emplastri gummosi et emplastri de galbano crocati.

Connubio olei aetherei et resinae acris, cur nervorum vitae plasticae remedia haec ferulacea sint, perspicitur.

G. ASAE FOETIDAE.

Hujus inter veteres usus incertus. Vox assae

foetidae videtur indita a monachis, in schola Salernitana. Indi in colica, hydrope, tympanite adhibent. Europaei in morbis nervorum spasticis jam dudum experti sunt ejus efficaciam, quae, praecipiente MURRAY, partim odoris partibus, partem resolvendi vi debetur. Nihil magis valere ad nervorum morbos, censet BOERHAAVIUS, unde hysterico et hypochondriaco malo adfectis, omnium consensu, subvenit, flatus intestinales dissipando, spasmos solvendo, et asthma, vitio ventriculi flatulento ortum, vel auctum tollendo. Prodesse maxime pilulas ex as. foetid. partibus 3, aloës et sal. mart. part. 1 ea quantitate datas, donec alvus laxetur, notavit WHYTT, *Nerv. Dis.* pag. 370. Aliquando somnum procurat et deliquium animi dispellit, (id. ibid.) vel solo odore excitat feminas, paroxysmo hysterico sopitas (FOREST. *Opp.* libr. 28. obs. 32. *Schol.*) Commodum auxilium praestat in clysmate cum purgante quodam, si alvus obstructa (WHYTT, pag. 474.) aut in colica hysterica, sive flatulenta (pag. 484.) In asthmate spasmodico acuto infantum praestantissimam esse medelam, nuper compertum est (MILLAR) adhibitam simul in clysmate (*). Etiam in tussi convulsiva aliis praetulit MILLAR, modo citatus. Guttae ex asa foetida et

(*) Hoc duntaxat modo plerisque infantibus administrari poterit: nec tamen omnibus convenit calidior medicina. Tutissima scuti stomachici forma.

liq. c. c. succin. epilepsiam mitigarunt; quin subinde, absente plethora, penitus debellarunt. In necandis vermibus potestatem adgnovit FRED. HOFFMANNUS, III. pag. 107, adsentientibus aliorum testimoniis. Adversus alvi torporem senilem, obstructiones viscerum, mensium a spasmis suppressionem, ejus pariter efficaciam laudibus efferunt, MURRAY, I. pag. 246. l. l.

Hisce celeb. MURRAY adnotationibus subjecit VOLTELEN, neminem hujus g. ferulacei effectus luculentius exposuisse exemplisque firmavisse, quam vir. doct. WAUTERS: in convulsionibus, chorea s. Viti, epilepsia, mania; propinasse autem, magna quantitate (*), solvendo scil. ejus dr. iij in aquae unc. vj add. interdum unc. j syrupi indeque cochlear omni bihorio ingerendo, seque ipsum, ex quo liberalius praescripsit, sanatos vidisse morbos nervosi generis, multum diuque incassum per remedia exquisitissima sollicitatos; duobusque exemplis, lectu perdignis, rem confirmat, altero insultus hysterici, altero epileptici; utriusque cum gravissimi, tum pertinacissimi, hoc remedio feliciter oppugnati: in hoc, praemissa et repetita v. s. corpo-

(*) Mihi saepenumero, hoc fine, parcior quantitas probatur ac form. pilul. magis adridet, cum succo liquiritiae addita $\frac{1}{4}$ parte as. foetid. cujus aura daemoni hysterico deprecando par est: sin major requiratur calidae medicinae dosis emulsioni praeferrem emplastrum abdominale, aut enema.

re plethorico ad calidum remedium tolerandum praeparato. Ad reliquos morbos quod adtinet, ex BERGIO verum tympaniten clysmatibus ex as. foetid. quotidie semel vel bis adplicitis sanatum, propinato simul rheo mane ipsisque mederi eam febribus intermittentibus inveteratis, et pediculorum inguinalium emplastri antihysterici ventri adplicati foetore fugatorum, ex eodem profert exemplum. Neque obstructiones viscerum et glandularum duntaxat, sed ossium cariem quoque persanare, SCHMUCKERI et NICOLAI auctoritatibus probat. l. l. II. pag. 158.

VOIGTELIO monente, omne corpus odore impraegnare, genus nervorum excitare, praesertim nervorum plexus abdominales, et circulationem et perspirationem; et vertiginis remedium esse et epilepsiae puerorum verminosae, aut abdominalis, et cardialgiae, addita valeriana et expectorationis torpentis et atoniae ventriculi et acoris primarum viarum cum felle bovillo, et taeniae cum petroleo, et icteri cum stibio et terebinthinae oleo, et ischiadis, et cariei scrofulosae, cum stibiatis, guajaco, galbano, extracto cicutae, docemur. (II. pag. 315 sqq.)

RICHTERUS nervinum respectu nervorum abdominis et pectoris esse, existimat (II. pag. 16.) quod genitalium erethismum pacat ac, praeter portarum venam et genitalia muliebria, membranas fibrosas, articulares et periosteum adficit; convenire vero

inprimis phlegmaticis, circulatione torpente, statuque mucoso, iisque neurosibus, quae ex infarctibus abdominalibus proveniunt, laesa simul vita organica. Enemata ex hoc medicamine injici in typho, ubi colica spasmodica. Convenire in chronicis pectoris morbis spasticis, praecipue ex rheumate, scrofulosi, arthritide: etiam in angina pectoris arthritica; in tuberculis pulmonum, cum atonia; in morbis abdominalibus, chronicis, exemplum citans icteri nigri rebellis, eo sanati; in leucorrhoea chlorotica; in vermibus intestinalibus: interdum vero nocere, vermes irritando turbasque ciendo graves. Ad taeniam profuisse, novis rerum testimoniis ostendit (pag. 19.). In hysteria et hypochondriasi subinde idiosynerasia vetari. Deinceps nova exempla profert epilepsiae eo devictae, tum verminosae, tum nervosae purae. In cachexiis: scrofulosa, arthritica, aliis commendari. In morbis ossium subinde fefellisse; saepenumero juvasse, etiam in spina ventosa.

Mihi probatum habetur antiscrofulosum, antihelminticum, antihystericum, praecipue aegrotante mesenterio, et genere lymphaticorum, atque adsentior Vogtio, esse inter nervina remedium nervorum vitae organicae, sive plasticae et per hanc vitam mutatam demum nervos vitae animalis alterare. Exinde quoque repetenda videtur illius efficacia in pneumatosi intestinorum indeque natis ver-

ligine, syncope aliisque neurosibus (*).

Dosin ejus esse gr. 5—20 scribit PHOEBUS: corrigentia pulv. irid. flor. ol. menth. pip., aut saporis praecipue gratia, syr. croci. Formulas Millari, Heimii, alias: etiam enematum vid. ib. II. pag. 77. Circa dosin moneo, in enemate vulgo praescribi posse dr. j ex aq. vit. ov. solut., sufficere saepius dr. β, non nimia aquae copia addita, ne promptius justo expellatur. In pilul. forma praestans est connubium cum pulv. ipecac., rheo, fell. bov. insp. in scrofula mesenterica adultorum.

MYRRHA.

Apud veteres potentia ejus medica magna in aestimatione fuit. Pectoris adfectibus, tussi inveteratae, asthmati eam dicavit vetustas. Accessit serioribus temporibus fiducia in hectica et phthisi. Suasu CARTHEUSERI (rem notante MURRAY) usus est myrrha creberrime manducata vir quidam litteratus, ad phthisin ex hereditate proclivis et respiratione difficili, cum tussi, mox sicca, mox salsa et mucosa stipata, dein haemoptysi correptus et phthisi proximus, eo successu, ut hac sola in con-

(*) Nuper MITSCHERLICH v. cl. usum in rheumatalgiis pariter ex potestate in canalem cibarium hujusque secretiones repetendum esse, probabili conjectura, proposuit. II. pag. 176. l. l.

nubio probae diaetae valetudinem recuperarct. Cl. Saunders myrrham ex saepissime repetita experientia in hecticis febribus ex debilitate: in vera phthisi autem rarissime succedere vidit et in multis omittere myrrham coactus fuit et ad tutiora transgredi. Pariter Reid in confirmata hectica ullum levamen adferre negat indeque potius symptomata augeri, prout in qualibet phlogosi. Subinde conducere virtute tonica, quam in primis viis exserit, et in magna infirmitate et languore infusum myrrhae cum aqua calcis factum commendat. Cl. Fritze eo tantum stadio ipsam adhibet, quo inflammatio pulmonum in suppurationem transiit, pulsu non celeri, absente tussi et haemoptysi, plerumque admixtam decocto lichenis islandici. Et Cullen v. cl. excludit myrrham omnino ab hectica febre, metuens ejus calidam naturam, et profitetur, nunquam beneficium inde percepisse, saepe autem manifestum damnum. Murray, *App.* VI. pag. 222.

In tussi pituitosa, catarrhali, chronica a pulmonum ipsiusque ventriculi laxitate: inque suppuratoriis pulmonum morbis tunc tantummodo administranda videtur Voltelено, ubi ulcus sordidum, putridum, saniosum, vel laxum, absente diathesi inflammatoria, fuerit. Inter emmenagoga, multorum consensu, potiorem aliquem locum sibi vindicat. In febre alba Sydenhami, sive chlorosi, saepe conducit connubium cum martialibus. In

menstruis ex atonia, mucositate, obstructione retardatis, vel anomalis egregii usus VOLTELENO habetur. II. pag. 167. l. l.

Tamquam emmenagogum, in morbi principio, cum martialibus crebro rem absolvere: deinceps alia resolventia efficaciora addenda esse, praecipit VOIGTELIUS, II. pag. 306 sq. similiterque adversus chlorosin et leucorrhoeam adhiberi; porro in catarrho chronico et asthmate pituitoso. In phthisi commendatam a medico Anglo GRIFFITH: ex myrrha, sale absynthii, vitriolo martis et aqua aromatica, syrupo quodam edulcoratam mixturam. In phthisi vero ulcerosa nocere.

RICHTERUS mixturam Griffithicam commemorans hanc ejus tradit compositionem: ℞ myrrh. ʒj solv. ter. in mort. vitr. in aq. alexiter simpl. ℥ vj β aq. alexit. comp. ʒ vj, dein add. sal. absynth. ʒβ, ferri sulph. gr. xij, syr. simpl. ʒ ij. M. s. in quatuor dosibus de die praeb: eam vero caute adhibendam esse subjungens. In primis autem blennorrhoeis pulmonum aptam esse myrrham, ut quas sanaverit, ex harum genere fuisse censeat: quorsum refert casus SAUNDERSII, in rem probandam adferens exemplum parentis. In menstruis denique, ex atonia anomalis, duntaxat emmenagogum dici posse, arbitratur.

Hactenus traditiones practicas de myrrha vobis proposuimus: unde effici forsitan posset, tum potissimum utilem fore hanc medicinam, ubi cum

chlorosi et blennorrhoeis phthisis: id est ubi phthisis chlorotica, atonica, mucosa fuerit: de qua re, priusquam statuamus, pharmacodynamices auctores quoque audire, de ejus virtutibus dotibusque disserentes, oportebit.

Auctore Vogtio, prae omnibus gummi resinis reproductionem incitat musculosque vitae plasticae in motus alacriores ciet estque princeps tonicum balsamicum, minus vero nervos adficit idque duntaxat, intermediis aliis partibus. Alacriorem facit motum peristalticum intestinorum, ac stimulat abdominis vasa emendatque secretionem membranarum mucosarum: intestinorum, pulmonum, genitalium, non resolventis, sed roborantis munere fungens. Indicatur vero, tamquam gummi-resina, ubi vitae vegetativae atonia et torpor corrigi debent; in blennorrhoeis, ulcerationibus internis, cachexia mucosa, lymphatica: pariterque, usu externo, ad ulcera atonica, putrida, scorbutica, ad gangraenescentiam, ad gingivas cruentas, scorbuticas caet.

Ex Sobernheimii sententia praecipue ad organana respirationis et ad uterum referenda est. Pereira vero negat, jure dici uterinum. Quas contrarias sententias ita conciliare licebit, si cogitemus virtutem tonicam myrrhae in membranas mucosas et contextum musculoso-fibrosum, quae ab adjunctis aloëticis, martialibus, croco, majorem menstrua pellendi potestatem nanciscitur: quam potestatem traditione medica videmus confirmatam.

Inter formulas, ab auctoribus de re medica notatas, plures invenietis tam antiquioris, quam recentioris aevi haec connubia myrrhae cum aloë, croco, ferro habentes, quibus docemur, quod singulis hisce effici nequit, effici potuisse conjunctis: idemque in pluribus aliis notare oportet, ne in viribus therapeuticis remediorum, suo pretio aestumandis, aberremus.

Antea mentio facta est mixturae Griffithicae, cujus variam compositionem memorarunt Sobernheim et Dierbach, ejusdemque generis memorarunt compositionem pilularum, eodem fine praescribendarum.

Traditur saccharum myrrhae, Hoffmanni formula percelebris, cui substitui utiliter posset extractum myrrhae aquosum, cum saccharo lactis, addito subinde phellandrio aquatico; si, pulmone aegrotante, a stimulo myrrhae, ne nimis exagitentur vasa et sanguis, metuamus. Verum ne hoc quoque extractum ferent pulmones, si ulla subsit irritatio.

Phoebus inter connubia myrrhae tum scillam recenset, tum catechu, tum galbanum, tum alia uterina, adversus amennorrhoeam potissimum: cujus census est sequens formula Petri Frankii: ℞ myrrh. pulv. dr. j gum. mimos. pulver. dr. ij. Fiant c. syr. simpl. unc. j. infus. flor. chamom. vulg. unc. vj l. a. emulsio, cui adde ferri sulphur. cryst. gr. xv, antea in aq. cinnam simpl. unc. j so-

luta (4. dd. c. ij). Suppar connubium est in pulvere myrrhae composito seu trochiscis de myrrha Pharm. Lusitan. cujus meminit DIERBACH (l. l. pag. 462. I.) ex partibus aequalibus myrrhae, sabinae, ruthae et castorei: qui profecto solis phlegmaticis idonei erunt.

Ad gingivas scorbuticas roborandas tinctura myrrhae, cum tinct. catechu componitur, cui pauxillum tincturae benzoës, odoris gratia, addi poterit. Pulv. dentifr. formulam SOBERNHEIM proposuit hancce: ℞ carbon. Til. praep. unc. β myrrh. pulv. dr. j sapon. medic. dr. ij. M. f. pulv. subtiliss D. ad scatulam. Universe ob calidam ipsius naturam juvabit saepenumero tincturis copiosam aquam admiscere, si collutorii nomine myrrham adhibere placeat.

TEREBINTHINA, OLEUM TEREBINTHINAE.

Creber ejus abusus fuit in ulceribus internis, cum aliarum partium, tum organorum uropoieticorum; febrim accendendo, inflammationem augendo obfuit: etiam in gonorrhoea a chirurgis male solebat adhiberi, emulsionis forma. Nephritidis calculosae medela fuisse dicitur, dum per sex menses mane nucis magnitudine ingereretur: et colicam ex pituita collecta cochleare ejus cum syrupo grato epotum composcuisse inque diarrhoea phthisin ex-

cipiente et intestinorum exulceratione clysma proficuum fuisse ex terebinthinae purissimae vitello ovi solutae drachma una, theriacae Andromachi uncia dimidia, lactis vaccini unciis quatuor (SWIETEN. *Commentar.* IV. pag. 112.)

Oleum terebinthinae plebis domesticum est in malo ischiadico et rheumatismis, melle exceptum, vel liquido quodam, cujusmodi formulam exhibet CHEYNE. Ad suppressionem urinae, sine febre, et nonnumquam ad hydropem WERLHOFIO solennis terebinthinae usus fuit. In dysenteria sub finem se aliquoties utilissimam deprehendisse, refert VOLTELEN formulam clysmatis, ei similem, qua uti solebat SWIETENIUS,

Singularem denique virtutem habet terebinthina in detegenda taeniae praesentia, observante CLOSSIO. Ejus nimirum dr. vj cum vitello ovi in aquae libra solvantur eaque solutio aegro, priusquam cubitum petat, intra 2 horarum spatium devoranda datur. Praesente taenia partes illius noctu, aut mane semper decedere feruntur.

Oleo terebinthinae, praeeunte CHEYNE, summo emolumento se usum fuisse, testatur HOME. Ad calculos biliarios et icterum hinc ortum, efficacius non dari remedium, perhibetur, quam ol. terebinth., et aether. vitr. dosi dr. j, omni mane ex sero lactis, vel jusculo vitulino sumendum.

In hydrope regioni lumborum illinitum saepe urinas potenter pellit, a LENTINO hinc saepius lau-

datum. In chirurgicis ad tendinum vulnera prídem commendarunt. Ingreditur balsam. arcaei, bals. sulph., sap. Starkejan., ung. nerv. caet. VOLIELEN, II. pag. 181 sq.

Usum in renum vitiis et reliquorum organorum uropoieticorum ad blennorrhoeas restrinxit VOIGTEL II. pag. 253. quique exinde nascitur, morbum calculosum, monuitque propter vim specificam in hoc systema directam in hydrope adhiberi. In rheumatismis praecipue et ischiade, dummodo caute administretur, remedium eximium dixit. Habere praeterea peculiarem potestatem in organa bilis. Icterum sanasse medicinâ ex tinct. as. foetid. vin. stib. et ol. terebinth.: quo loco meminit remedii Durandei adversus calculos bilis. Denique nuper adversus epilepsiam commendari scripsit inque chorea s. Viti a vermibus, nec non usu externo linim. adv. ischuriam spasticam ex unc. β ol. tereb. dr. ij vit. ov. et unc. vj aq. menth. pip., lumborum regioni inungendum. (Ingreditur balsam. Locat.)

RICHTERUS pariter in blennorrhoeis genitalium, viarum urinae, intestinorum, praesertim fluxu coeliaco, sub forma enematis quoque utilem censet, nec non in hydrope cutaneo et abdominali. Oleum terebinthinae quod adtinet, hujus nervini vim ad nervos plasticos medullamque spinalem revocat convenireque docet phlegmaticis, torpidis, systemate vasculoso et intestinali parum irritabili. Virtutem anthelminticam confirmat propria experien-

tia, eamque sic interpretatur, ut habeat ipsorum vermium venenum. Similiter in morbis rheumaticis et hepaticis ejus usum probat, inque obstructione alvi paralytica, in ischuria senum paralytica, in haemorrhagiis passivis, in febre puerperali, ad movendam alvum. Extus in ambustionibus, pernionibus administrari, animadvertit, prioremque dotem ex theoria Brownii incitationis hujusque placito de curanda hypersthenia, sive asthenia indirecta interpretatur. II. pag. 75.

Pharmacodynamicus character olei terebinthinae positus esse existimatur et dignosci incitatione circulationis abdominalis per portarum venam ideoque incitare functiones hepatis et uteri, ipsam spinae medullam, intermediis nervis plasticis: porro in membranas mucosas, fibrosas et cutim efficax esse: unde blennorrhoearum et rheumatismi sanationes per terebinthinam commodam habere intelligentiam creduntur. Parca dosi diuresin, magna potius alvum movet: quod nisi faciat, ab irritatione intestinorum phlogosis metuenda est: quam addito oleo ricini similibusque avertere conantur medici. Cum sanguine circumire et per pulmones, per cutim, praecipue per renes excerni videtur, quemadmodum periculis hanc in rem captis ostendit PEREIRA (*). Quae si veracia, ut existimo,

(*) Caeterum de experimentis cum oleo terebinthinae factis cf. MITSCHERLICH l. l. II. pag. 212 sqq.

ita sunt, cur in has potissimum partes hoc remedium balsamicum efficax sit, perspicitur.

Ego in triplici genere morborum inprimis experientia illius salubritatem habeo comprobatam: in rheumatismo chronico, in morbo ischiadico, in hydrope; atque in prioribus quidem formula linctus, ad exemplar formulae ab Homio et Martinetto propositae, in posteriore formula linimenti renali regioni illiniti. Plura circa usum terebinthinae notata invenietis in libro de *Arte Medica* passim.

Ad febrem puerperalem utiliter adhiberi, tum forma enematis, tum forma inunctionis in abdomine: priori ad tympaniten solvendum: posteriori ad concitandam in cute irritationem sicque per contrastimulum, vesicantis, aut rubefacientis in modum, ad liberandas partes internas membranaceas, praecipue peritoneum, auctor nobis est PEREIRA.

PHOEBUS dosi gtt. x—xv praescribendam, aut ad dr. 2—3, ubi pellenda taenia est, monet: reprobat vero doses majores, praecipue ingentes illas unciarum duarum, ab Anglis medicis laudatas. Ad neuralgias ℈j—3ij. Ad veneficia ab acido prussico, sive hydrocyanico dr. ½ omni hora. Post usum sorbendas esse jubet ptisanas mucilagineas, aut juscula carnium, atque ad saporem corrigendum sive citri succum, sive magnesiam ustam proponit; ut rubefaciens lanae inungere cutique im-

ponere ad ambusta cum oleo pingui, jubet. Caeterum formulas vid. ibid. II. pag. 394 sq.

Citatur eodem loco bals. sulphur. terebinth. quo, sub nomine olei Harlemensis, ad morbum calculosum utitur vulgus: est enim remedii genus inter nostrates domesticum. Fortunate eodem usus sum in rheumatismo chronico: quod tamen oleum ingrati adeo saporis et odoris est, ut non facile, nisi rusticis, praescribi possit iisque, quorum gustus et olfactus sunt hebetiores.

Adversus haemoptysin nuper denuo commendari coepit: solam tamen passivam haemoptysin tolerare remedium, quod tam potenter sanguinem exagitat, arbitror: etsi commendatores in activa pulmonum haemorrhagia laudaverint, et phlogisticae crasis sanguinis medicinam esse perhibuerint. Nam in phlogosi et inflammatoria conditione ejusmodi calida fugienda esse, censeo.

BALSAMUM COPAIVAE.

Duo sunt morborum genera, quibus a longo inde tempore mederi credebatur copaivae balsamum: phthisis pulmonalis et gonorrhoea venerea. Circa prius, citatis ab utraque parte virorum doctorum testimoniis: »tutissimum igitur est, inquit Murray IV, pag. 57, inter vituperium et laudem virtutis antiphthisicae balsamorum medium procedere, ut

tamen excitandos medicos existimem, ut absque ullo partium studio, quasi rem novam meditantes, inquirant in omnia momenta, quae eadem concedant vel repudient et miscelas, quae tutiorem usum eorundem reddere queant. Sic generalius de hisce commentando speciale simul balsami copaivae pretium in pectoris isto tristi morbo constitui."

Exinde hoc problema practicum ita solvit VOIGTEL II, pag. 268, etsi abs. LENTINO quoque commendetur, ejus usum in phthisi ulcerosa esse damnandum, in catarrhis vero chronicis ac phthisi pituitosa, nulla praesente, neque inflammatione, neque febre, verum laxitate, ut reliqua balsamica profuturum; eandemque sententiam profitetur RICHTERUS et cum RICHTERO profitentur medici recentiores: ut hodie tamquam antiphthisicum adhiberi commendarive desierit.

Circa posterius, monuit MURRAY l. l.: » similis ambiguitas obtinet, quoad ejus et similium pretium in gonorrhoea venerea;" et paullo post: » cuilibet naturam gonorrhoeae cognoscenti facile patet, non posse non nocere balsama in malo recens contracto, dum urethra inflammatione corripitur: serius autem, postquam deferbuit, vel in eo stadio, quod Angli *gleets* vocant, prodesse eximie ejusmodi medicamina constat:" remque exemplo probat.

Suppar RICHTERI judicium est, non prius dandum balsamum praecipiens, quam omnis stimulus

inflammatorius sit sublatus, nullosque inter mingendum dolores, nullos inter erigendum membrum experiantur aegrotantes: multaque mala recenset, quae praeposterus usus secum ferre solet.

Phoebus dosin remedii esse a gtt. 20—60, aut cochl. ½—1. 2—4 dd. Post majores doses gtt. 15. tinct. acid. aromat. ex consilio experient. Swediaur sumere, vix opus esse; caeterum acida, aut aetheres, aut tincturas arom. amar., infus. coffeae saporem bene corrigere. Datur ex saccharo, aut vino, hodie et in capsulis. Pilulae ex eo non facile fiunt et quidem optime ex cera.

Est haud supervacaneum, remedii parum grati diuque sumendi noscere complures compositiones. De enematibus et injectionibus. Cf. ibid. II. p. 84. Canones pilularum conficiendarum a Simon pesitos vid. ibid. Varias remedii exhibendi formulas secundum varios auctores eodem loco invenietis.

BALSAMUM PERUVIANUM.

Laudes hujus balsami respiciunt et vulnerariam virtutem, quando progenies carnis nimis lente succedit et haecce igitur arte acceleranda est, interprete Murray VI, pag. 114 sqq. et efficaciam tam in dolore colico pictonum auferendo, Sydenham *Process. Integ. Opp.* pag. 605, quam in asth-

mate pituitoso. HOFFMANN. *Diss. de Bals. Peruv.* pag. 311.

Exstat consilium erud. WERLHOFII, datum in phthisi ex haemoptoë, quo proposuit hoc balsamum cum extr. cort. Peruv. et melle rosac. Opp. pag. 796: quo medicamine suam ipsius filiam e phthiseos periculo eripuisse fertur; sed simul additur, cum PRINGLIO convenisse, primarium esse abstinentiam ab omni victu animali, sub rigore diaetae vegetabilis et lacticiniorum: quibus mecum majorem, quam balsamicis tribuetis phthiseos refraenandae vim.

Nempe virtus remedii vulneraria videtur medicos excitasse ad explorandam ejus virtutem antiphthisicam, dum opinarentur, haemoptoën vulnus in pulmone factum declarare, ex quo vulnere nasceretur phthisis: quam theoriam hodie nemo medicorum, morbi pathogeniam cognoscentium, tuebitur.

In dolore colico FORDYCE et phthisi MARCUS deinceps commendaverunt: in papillarum excoriatione DANNEMANN et VOIGTEL II. pag. 323. l. l.

Ulceribus internis tunc duntaxat aptum existimat RICHTER, ubi vitae praesertim vasorum energeia decrevit. SOBERNHEIM restrinxit illius usum ad phthisin pituitosam et FOTHERGILL damnavit omnium calidorum remediorum in phthisi pulmonali usum. *Med Obs. et Inq.* IV. pag. 231 sqq. Cff. illius *Remarks on the Use of Balsams in the*

Cure of Consumptions. Quae reputantes, non mirabimini, hodie solum fere externum ejus usum commemorari. Vid. PHOEBUS l. l. II. pag. 87 sq.

BENZOË.

Ab antiquo inde tempore virtus benzoës antiasthmatica percelebris fuit. »In affectionibus quibusdam pectoris, ita MURRAY, IV. pag. 545 sq., febre destitutis, olim commendata est, quorsum tussis inveterata, asthma, obstructiones pulmonum, quae maciem minantur, pertinent;" ac postea de floribus benzoës: in adfectionibus dictis frigidis pectoris quibusdam placuisse, monet. Et VOLTELEN, II. p. 160: in adfectibus pulmonum pituitosis adhiberi, quorum effectus una cum camphora in peripneumonia, ubi pulsus parvus et expectoratio suppressa erat, laudavit HOFFMANN; quin essentias et tincturas asthmaticas ingredi solere, notat.

VOIGTELIO teste, fere in solis pectoris aegritudinibus asthenicis, praecipue asthmate pituitoso, catarrho chronico, magna pituitae copia in pulmonibus adcumulata, ultimoque peripneumoniae stadio, profuerunt.

Nuper in peripneumonia notha acidi benzoici, sive florum benzoës usum laudavit STEINMETZ, quod, postquam commemoraverat RICHTER, animadvertit, antiquiorum observationes spectare flores

benzoës empyreumate scatentes, vix solos, sed utplurimum cum camphora, arnica similibusque potentioribus junctos, eamque ob caussam, ubi periculum in mora est, hisce solis non esse fidendum, II. pag. 91 (*). De usu cosmetico v. ibid. Ex recentiorum practicorum medicorum sententia flores benzoës haberi efficacissimum remedium debet ad respirationem incitandam et expectorationem promovendam, quod una ventriculum potenter stimulat inque morbis pulmonum auxilium praestat, ubi vel incipiens paralysis promptam minatur dissolutionem. Vogt, II. pag. 152 l. l. Helenium continere hoc acidum jam pridem animadversum esse, adnotavit Dierbach ideoque animadversione dignum arbitratur, quia hoc ipsum egregium pulmonale est.

Phoebus duas formulas descripsit: alteram Berendsii, in paralysi pulmonum, alteram Hornii, in pneumonia asthenica. Prior et camphoram habet et sulph. auratum antimon. et elaeos. foeniculi. Posterior et illud et ipecacuanh. Praeterea connubium cum bals. peruv. et mucilaginis notandum. Denique animadvertite, partem esse elix. paregor., quo Angli et hodie uti solent. Hisce omnibus efficitur: remedium pectorale, per omnes ferme aetates, postquam adhiberi coepit, et dictum

(*) Cl. Mitscherlich, a Cullено traditionem medicam incipiens, hujus virtutis obiter tantum meminit.

fuisse et habitum (dos. gr. iij—x saepius de die.) Nec reticendum, et mihi saepenumero sese probasse tamquam antiasthmaticum et expectorans potentissimum, quo cum in asthmate senili, tum in tussi quinta et pulmonum oedemate fortunate usus sum adeo, ut vix dubitem, peculiarem hisce floribus vim tribuere ad instaurandam labantem spirandi officinam, quo ipsum asthma cum aliud, tum spasmodicum curavi feliciter: cui testimonio fidem non denegabitis, si adjunxero, crebro solos me adhibuisse flores benzoës et miratum fuisse medicinae hujus antiasthmaticae potentiam summam, quam eapropter vobis in consimili casu probandam et explorandam commendo.

SUCCINUM.

Ex eo parata tinctura, olim in catarrhis chronicis adhiberi solebat, hodie fere absoleta est. Majorum virium est liquor c. c. succinatus; in asthmate, spasmisque hystericis, praecipue organorum spirandi, olim percelebris medicina. Interim notandum est, tincturam succini inter nervina pectoris haud immerito numerari cujus tamen efficacior magisque hystericis apta formula est liq. c. c. succin.

JUNIPERUS COMMUNIS.

Baccas in hydropicis affectionibus crebro adhiberi, profuisse ascitico vinum, infusione baccarum, addito centaureo minori, paratum, MURRAY notavit. SWIETENII formulam vid. *Comment.* T. IV. pag. 258. In leucophlegmasia, post scarlatinam, tostas, infuso aquoso, ad lotium pellendum, infantibus dedit ROSENSTEIN. Alii in calculo proficere adfirmarunt. Cerevisiam diureticam et antiscorbuticam ex iis parant Sueci. Spiritu vini infundunt Russi. Vinum ex succo baccarum fermentato in tussi obstinata et initio phthiseos profuisse, dicitur. Hactenus MURRAY: cujus adnotationibus subjungere VOLTELENI testimonia oportet, qui illis profecisse plurimum videtur. » Efficacissimum, sic ille, medicamentum hi fructus praebent, diureticum, diaphoreticum, carminans, roborans, resolvens: unde in morbis potissimum hydropicis, catarrhalibus, pituitosis, calculosis eximie conducunt; eo magis, quum debilitatum simul viscerum tonum firmant, flatus dissipant, obstructiones solvunt." Infusi formulam citans ex QUARINO, huic saepius spir. Mindereri fructuose addidisse monet. Sp. nitr. dulc. addere solebat SWIETENIUS. Hydragogis vero elaeosacch. juniperi addebat HOFFMANNUS.

Habetis praecipuos usus ex prisca traditione notatos: unde discimus, stimulare organa uropoëtica, quod firmatur observatione PISONIS, ex diuturno usu urinas cruentas exiisse. Quamobrem VOIGTELIUS, III. pag. 509: princeps esse atoniae harum partium remedium indeque orti morbi mucosi. Quibus collatis, intelligitur, quo nomine morbo calculoso mederi possint, medendo scilicet hujus caussae: blennorrhoeae et prohibendo nuclei calculosi ex muco concreto formationem; simul urinae profluvium ciendo sicque materiam sabulosam eliminando.

Praeterea in colica flatulenta adhibent et acore primarum viarum: in atonia viscerum chylopoieticorum, hydrope rheumatico, dysuria arthritica, rheumatismo chronico, epilepsia rheumatica, aut menstruali, herpete aut impetigine senum, diuresi denique curandis. Caeterum iisdem morborum formis, quibus ab una parte terebinthina, a parte altera sabina respondet, eo tutius opponi potest, quo mitiori stimulo gaudet, ex oleo aethereo, saccharinis principiis edulcorato.

Utiliter decoctis lignorum addi et oleum efficacissimum diureticum esse, animadvertit DIERBACH. Hoc quidem experimentatoris Angli ALEXANDRI pericula docere videntur: unde efficit, guttulas quatuor olei juniperi diureticorum omnium fortissimum esse. In blennorrhoeis genitalium et vesicae supparis usus esse ac copaivae balsam. et terebin-

thinacea, arbitratur PEREIRA (pag. 1065.) citatque HECKERI testimonium, vel in ipso primo gonorrhoeae stadio illud medicamentum laudantis.

Prostat in officinis spiritus juniperi compositus, quod aegris hydropicis, juniperi amatoribus, cum corticis peruviani decocto aliisve roborantibus profuisse saepenumero novimus.

PHOEBUS formulam infusi profert, ex baccarum uncia dimidia, ad colaturam unciarum sex. Aliam ex vin. rhenan. cum rad. levist. In exemplum quoque proponit duplicem formulam: alteram infus. baccar. cum elaeosacch. junip. et sp. nitr. dulc.; alteram, auctore BRERA, ex inf. simili cum aeth. sulphur. et oxym. scillit.; quibus tertiam addere oportet, ex VOLTELENO, cum sp. minder., prius commemoratam illam.

DE MEDICAMENTIS RESINOSIS, BALSAMICIS UNIVERSE.

Ex horum medicaminum numero esse recolite gummi-ferulacea, terebinthinam, bals. copaivae, peruvianum, flores benzoës, succinum, baccas juniperi, quorum tres praesertim dotes medici celebrant: nervinas hystericas, pectorales, et diureticas; quas si conferatis, videbitis, in aliis alias praecellere, nervinas hystericas in galbano, asa foetida, pectorales in benzoë, succino, bals. peru-

viano, diureticas in copaiva, terebinthina, junipero: in compluribus junctas esse, uti consensus vinculo tenentur organa pectoralia, genitalia, uropoietica. Nec raro utiliter componuntur: asa foetida cum myrrha et benzoë, benzoë cum succino, balsam. peruvianum cum myrrha, oleum terebinthinae, aut juniperi cum gummi-resinis, ex consilio, quod sibi proponit medicus, menstrua pellendi, pectus liberandi, ciendive urinas. Sic in asthmate senili, sive cum asa foetida ol. juniperi, aut terebinthinae copulari poterit, urinis parce fluentibus, sive cum tinctura benzoës tinctura succini, si ex catarrho dyspnoea sit nata, sive myrrha cum peruviano balsamo, si atonia spirandi partes prehenderit. Quodsi subfuerit caussa et adfectio rheumatica, juvabunt terebinthinacea, juniperina, quibus senum phlegmaticorum, aut bibacum rheumata sive tollimus, sive saltem mitigamus.

Et quoniam in neuralgiis, praecipue neuralgia crurali, rheumatica illa, salubrem experti sunt terebinthinam medici, nullus dubito, quin juniperi oleum pariter in eodem hoc morbo salubre experturi sint; quo in aliis quoque neuralgiis, inprimis in odontalgia, tamquam auxilio vulgari, domestico, vulgus hominum uti novimus.

Juniperi spiritum, tot malorum caussam, id saltem boni adtulisse, quod morbus calculosus inter nostrates rarus esse desiit, nonnullis visum est. Illud huic tantum caussae tribuere nollem: ve-

rum, quin una ex caussis sit, vix dubito. Nam etsi divites et patricii, lautiori victu viventes, hoc spiritu minus, quam vino abuti solent, hi tamen, utut calculo non laborent, adfinibus utcunque laborant arthritide et podagra. Quodsi morbi calculosi decrementum explicare cupiatis, ad omnem diaetam omneque vitae genus mutatum advertere debebitis. Hoc autem, quandoquidem hujus loci non est, aliis explicandum commendamus: illud duntaxat monentes, posse subinde hanc observationem ad arthriticorum et podagricorum curam sive prophylacticam, sive therapeuticam utiliter traduci, nec mirum esse, in arthritide et podagra juniperi vires fuisse laudatas.

OLEOSO-AETHEREA.

VALERIANA.

» Praecipuus, ita MURRAY, I. pag. 181, contra quem celebritatem nacta, morbus epilepsia est." Hujus autem morbi curatio alia est potentiae nocenti, quae dicitur, alia seminio auferendo apta. Quare perdiligenter quaeramus oportet, utrum priori, an altero modo prosit. Ducentesimus quinquagesimus jam praeteriit annus, ex quo FABIUS COLUMNA, nobilis Italus hac radice curatus est. Quapropter in persequenda traditione medica ab hoc aegro epileptico ordiamur.

Itaque ille: » praeter vires plantae huic tributas, inquit (pag. 97. *Phytobas.*) addo et hanc proprietatem, jamdiu in multis, atque memet ipso expertam, ut pulveris radicis plantae hujus sponte ortae extirpatae, antequam caulem edat, cochlearii dimidium cum vino, aqua, lacte, alia quovis decenti succo, et aegroti commoditate, et aetate semel sumptum, aut bis, epilepsia correptos liberet. Hanc exhibendam pueris, et praesertim infantibus, hoc morbo facile laborant, quibus lacte

propinandum pulverem jussi, amicis dono dedi: qui deinde, Divino prius nomine fautore glorificato, pulvere hujus plantae illis restitutam sanitatem affirmarunt. Hoc et aliis adultis nonnullis." Hactenus auctor, quem senem factum iterum in comitialem morbum incidisse, conjicit JANUS PLANCUS, in adnot. ad hunc locum. At si vel perfecte sanatus fuisset, non multo doctiores hac relatione fieremus, quia adcurata destituimus morbi historia. CRUGERUS virum ex ira, et feminam ex terrore epilepticam ea sanavit; MARCHANT infantes verminosos; SAUVAGES, virum, sub coitu epilepsiae paroxysmo correptum; WHYTT, mente ex epilepsia perturbatum. TISSOT multas curationes se huic unice radici debere adgnoscit, adfirmans ideo, ubi illa non juvet, malum esse incurabile.

Reputantibus igitur, valerianam mederi epilepsiae, ex multiplici potentia suscitatae, mederi infantibus, feminis, viris, mederi epilepsiae sequelis, videbitur vobis, seminium epilepticum ipsa deleri, nec mirabimini VOLTELENUM scripsisse: » specifice in epilepsia valere tam veteres, quam recentiores testantur." Idem vero paullo post subjecit: » sunt tamen, qui frustra dederunt:" deinde hanc caussam addidit: saepe incassum tentari, quoniam parciori dosi minusque frequenter propinatur. Addere etiam oportuisset administrandi rationem, in aliis aliam: siquidem notavit WASSERBERG, se vidisse, cum pulvis in epileptico nihil praestitisset,

minorem dosin naribus, ceu nicotianam haustam, mane ac vespere optimos edidisse effectus; quemadmodum ipse (pag. 63. Tom. II. l. l.) loco citato scripserat. LENTINUS in balneo administrabat tepido. Addendum et hoc est, eodem auctore VOLTELENO, eradicandam esse primo vere, antequam caulem edat, loco umbroso siccandam, vase clauso servandam et quotannis renovandam.

Ab altera parte specificam ei vim anti-epilepticam tributam noluit VOIGTEL; tunc tantum magnam in ea spem ponendam esse, opinatur; quum nervorum actio fuerit terrore, metu, ira perturbata, aut infirma virtute nervea: ex manustupratione, vermibus, menostasia, coitu: minus vero promittere in vitio haereditario, organico, inveterato.

RICHTERUS in epilepsia ex nervorum debilitate ipsam laudat docetque praecipuum esse arcanorum anti-epilepticorum et casus plures citat epilepsiae mere nervosae, in quibus juvit: esse autem magna dosi propinandam, sive pulveris, infusi, seu elaeosacch. forma.

Verum postea ad alias etiam neuroses traduxerunt: ad hystericam passionem HALLERUS, ad hemicraniam FORDYCE. Prior hystericas adfectiones et nimiam nervorum sensilitatem ea suppressit. Posterior palmarium habet remedium, quod, largiori dosi sumptum et repetitum, saepe solum dolores sanat tum acutos, tum diuturnos seque ipsum multa et gravia per quadriennium quotidie

perpessum, ut vitae fere taederet, maxime sublevavit et curavit.

Pridem quoque anthelminticorum numero adscriptum atque in electuaria anthelmintica Störckii, Bremserique receptum fuit.

Nuper febri nervosae versatili, sive typho cum erethismo, opponi coepit ab HUFELANDO, RICHTERO, aliis. Praecipue catarrhali nervosae, cute sicca, pulsu parvo, irregulari: verbo, ubi nervorum erethismo impar est renisus vasorum: siquidem medullam spinalem potissimum excitare hujusque et cerebri sublatum aequilibrium restituere videtur.

Symptomata a PEREIRA citata valerianam cerebrum incitare, docent. Nec tamen in omnibus par eventus, universe tonicum nervinum respectu systematis cerebro-spinalis habetur, et dicitur praecipue fructuosum, ubi opus est diaphoretico.

Quodsi meam experientiam consulo, in febre catarrhali nervosa, in neurosibus capitis ex catarrho: cephalalgia, amaurosi, surditate, odontalgia, hysteria rheumatica, catarrhali, cum nervorum intemperie et erethismo, efficax medicina est, quam tuto administrabitis, si ad renisum vasorum adcommodetis utendi methodum: ea quidem lege ac conditione, ut hoc renisu concitato a protractiori remedii usu abstineatis; quod praeceptum in febre nervosa inprimis religiose servandum est.

Haec radix in aliis morbis alia forma praescribitur. In epilepsia pulvis et quidem dosi dr. j. ter

quaterve de die, cui subinde pulv. c. peruv. vel pulv. cort. aurant. fructuose adjunximus. Quodsi nauseam creet., infusum unc. β—j. ad unc. viij. propinetur: qua etiam formula in febribus danda est. Pulveris forma magis abdominis, infusi magis capitis morbis apta habetur Jörgio Si anthelmintica virtus requiratur, electarii formam praeponunt adduntque purgantia.

Variis utuntur sive adjuvantibus, sive corrigentibus: tonicis, nervinis, anthelminticis, aromaticis, analepticis. Ex adjuvantibus cort. peruv., cort. aurant., castoreum., as foetid.; ex corrigentibus fol. aurant., ol. macis, menthae, crocum, ex analepticis, aetheres, acetum, acida mineralia, cum spiritu vini aromatibusque parata citare oportet. Ego saepius cum aceto, cum aethere acetico, cum elix. acid. Hall. infusum illius composui: interdum cum Mindereri spiritu, si cutis actio excitanda foret. Interdum etiam cum camphorae pauxillo, aut ubi vermes pellendi, cum santonico.

Extractum paucarum virium est: magnarum contra elaeosacch. et tinctura cum aethere nitrico, aut sulphurico alcoholico conjuncta.

Vim nervinam auget simulque corrigit acetum, aether. aceticus, elix. acid. Hall., elix. vitr. Myns.

Denique in enematibus cum chamom., card. bened. aliisve amaricantibus copulatur. Talis enematis formulam, ad Kaempfii clysmatum viscera-

lium normam compositi, tradidit Phoebus, l. l. II. pag. 455. sub numero 955.

Dierbachio auctore, vis remedii peculiaris est ex connubio acidi volatilis sive oxydi olei (Christison) cum oleo aethereo et materie extractiva.

De Candolle valerianeas supparium virium esse, observat, quas Dierbachius siccatione non perire monet. Icon. dedit Hayne, III. 32. cui dubium videtur, annon valeriana phu (Dioscorid.) efficacior officinali. IX, 27—29.

ARTEMISIA VULGARIS.

Artemisia ab Artemis, Diana, etiam Lucina dicta, veteribus usitatissima in adfectionibus uteri, ad menstrua, partum, secundinas, lochia, in infus. cum flor. cham. rom., feminis Sinensibus contra malum hystericum, Danicis pro emmenagago, medio aevo tamquam antiepilepticum usurpatum, habetur quoque remedium dolores excitans ad partum, adinstar secales cornuti, a quo tamen multis titulis differt.

Hac perpetua traditione docemur, a longo inde tempore uterinum et dictum fuisse et habitum: quocum convenit antiepileptica virtus nuper resuscitata; quandoquidem virginum epilepsiae potissimum mederi credebatur. Commendaverat radicem

hanc BURDACH hujusque ad exemplar adhibuerunt alii, eventu jam fortunato, jam infortunato. Hystericis potissimum, suppressis catameniis, salubris herba fuisse videtur. Praescribebat BURDACH c. p. ex cerevisia tenui tepida, qua potione ingesta, jubebat aegrotantem lectulum petere iterumque cerevisiam tepidam bibere eandemque dosin, post 24 horas, siquidem opus esset, iterare, donec sudor proveniat, quod nisi fiat, liq. c. cerv. succin. ex infuso serpentariae, valerianae, arnicae sudorem movere oportebat. Erat autem vel semihora ante insultum, certo tempore redeuntem, vel statim post insultum administranda. Hac simplici methodo plures epilepticos cito sanavit, ut ex 20 vix duo haud sanati dimitterentur. Magis feminis, quam viris, junioribus, quam annosioribus, aut insultu crebrius revertente, profuit. In Nosocomio Berolinensi pericula facta satis successerunt. Conditiones, quae remedio favent, sunt: intemperies nervorum hysterica, suppressa menstrua, vermes, morbi cutanei retrogradi ac secundum nonnullos, negante licet BURDACHIO, caussa catarrhalis, rheumatica.

RICHTERUS valerianae simillimum remedium habet.

Mihi cogitanti medicamentum hocce in virginum praecipue epilepsia profuisse, scrupulus nascitur de illius virtute antiepileptica: sunt enim feminarum epilepsiae crebro hystericae. Saltem idiopathicae graviorique epilepsiae impar videtur.

Alii in chorea sancti Viti spasmisque periodicis fortunate ipsa usi sunt.

ANGELICA.

Europae septemtrionalis incola (HAYNE, VII, pag. 8.) radix aromatica est, tonica, stomachica, carminativa et dulcedine pectoralis. In typho (laudatorem habuit HILDEBRANDTIUM) meteorismo, dyspepsia, blennorrhoea pulmonum, asthmate, hysteria, hypochondriasi, menostasia atonica, rheumatica commendaverunt.

Ex ea componuntur spiritus angelicae, essentia alexipharmaca Stahlii, alia.

Equidem usu comprobatam non habeo, quia alia suppetebant certiora: rad. helenii officinalis et rad. calami aromatici, quarum et crebrior usus et virtus notior.

RAD. SERPENTARIAE VIRGINIANAE.

Primam ejus mentionem fecisse THOM. JOHNSON et celebratam olim in America, tamquam antidotum veneni serpentum, notavit MURRAY, I. p. 349. In febribus putridis nervosis percelebre remedium idque, PRINGLIO auctore, quando stupor insignis,

pulsus debilis, delirium instat, petechiae adparent (pag. 275 sqq.). Is autem deinceps decocto cort. peruv. addere solebat, idque eo quidem eventu, ut ex 39 aegris quatuor tantum perierint. Simul tamen addidit, et loca, quibus decumberent aegri, bene fuisse aërata et febrem minus, quam alio tempore viderat, malignam. Etenim sub aliis rerum conditionibus duplicatum fuisse mortuorum numerum. Praeterea notandum est, aromatis instar, calidum remedium praescripsisse cumque nimium stimularet, minuisse medicinae stimulantis dosin. Erat vero in decocto c. peruv. dr. iij. ad colat. unc. viij. dos. serpent. dr. ij: nec omissum, ubi opus erat, vinum.

Neque in garrotillo, sive angina ulcerosa maligna successu caruisse, fertur *Med. Obs. and Inq.* I. pag. 219. propter virtutem, ut creditur, antisepticam.

Etiam in febribus intermittentibus, vernalibus administravit SYDENHAMUS, ex vino albo ad sudores ante paroxysmum excitandos, huncque ipsum sic praevertendum. »Est et altera methodus, inquit, curandi has tertianas, in pauperibus scil., quorum facultas prolixo apparatui medico ferendo non sit; ut ℞. serp. virgin. subtiliss. pulv. ℈j vin. alb. ℥iij m. s. duabus horis ante paroxysmum et stragulis bene coöpertus sudet per tres vel quatuor horas: idem faciendo per duas alias vices paroxysmo ingruente:" *Opp.* pag. 310. Quam methodum,

tutut magni viri auctoritate nititur, minus tutam universe habeo, neque omnibus aegris, neque vernalibus cunctis aptam.

Vel in intermittentibus cum statu nervoso minus idonea censetur VOIGTELIO medicina eique valerianam aut angelicam anteponit: laudat contra in typho putrido, gangraenoso, quum laesa actione musculorum, cutis energeia excitanda est: pulsu infirmo, cum delirio ac stupore, cute pallida, frigida caet. III. pag. 575.

Experimentis suis effici voluit vir. cl. JÖRG, serpentariam irritare canalem cibarium potissimum ac provocare meteorismum: idcirco maxime salubrem fore in diarrhoeis chronicis colliquativis. Quae, ut aliae clari experimentatoris sententiae, testantur errare, qui in pharmaceutice physiologica spem ponunt rerum suarum et prae ea pharmaceuticam practicam contemnunt.

Pharmacodynamices respectu camphorae adfinis habetur. VOGTIO inter hanc et angelicam collocanda videtur et praesertim in typho et phlogosi typhosa (neurophlogosi) inflammatione gangraenosa commendanda eodemque sensu SOBERNHEIM in debilitate torpida capillarium incitando, antiseptica dicitur.

Principia ejus sunt oleum aethereum et materies extractiva, amara, cui quoque aliquid acrimoniae adhaerere, qua abdominis viscera irritat, existimant.

Planta ipsa ad aristolochias pertinet ejusque imaginem adumbrandam curavit HAYNE, IX, ic. 21. Formulae, quas profert PHOEBUS, partim quod nimis compositae, partim quod nimis stimulantes sunt, minus placent. Saepius efficax expertus sum decoct. c. peruv. rubr. unc. j — unc. xij. cum rad. serpent. unc. β. et clix. vitr. Myns. dr. j. alternatim cum pulveribus ex camphora gr. ½, addito saccharo et pro potione aqua hordei cum vino rhenano in febribus putridis, nervosis, collabentibus aegrotantium viribus. Illud vero probe notandum est, quod vulgo a medicis negligitur, nec cito nimis, ante crisin vel fientem, vel factam, nec nimis diu, post restitutum nervorum vasorumque aequilibrium horumque suscitatum renisum, stimulantia ea in febribus administranda esse.

MENTHA CRISPA ET PIPERITA.

» In flatibus primarum viarum discutiendis plane eximia, unde hypochondriacis, hystericis, ructus excitando, egregium solamen, ut et ructatricem mentham MARTIALIS appellaverit!" ita MURRAY II, pag. 147. Cui tamen obloquitur RICHTER docens, hypochondriacis et hystericis magis convenire minus calidam mitioremque melissam, quae ob analepticam virtutem Arabibus usitata, BOERHAAVIO sum-

mum antihystericum dicitur. Compescere vomitum et diarrhoeam, quando haec mala, absque fomite in primis viis haerente, ex spastica diathesi enascuntur, vel illo egesto vitiose ob hanc causam perdurant. Lactis praeterea adfluxum ad mammas minuere et jam collectum lac dispellere. Ad menstrua cienda excellere adeo, ut ex menthae spiritu crebrius ingesto in uteri haemorrhagiam suborta fuerit proclivitas et seminis vim apud viros mentha enervare, ferunt. En fere antiquiorum de hac herba traditiones; quam ad vomitum atonicum ALEXANDER TRALLIANUS, ad dyspepsiam CELSUS, ad morbos uteri MOSCHION commendaverunt. Inter remedia, quibus HAENIUS in curatione caldialgiae chronicae multis inexspectatam sanitatem reddidit, hoc inprimis BOERHAAVIO acceptum testatur. ℞ lap. cancr. unc. β. ol. still. menth. c. sacch. dr. iij. in elaeos. redd. gtt. x. sp. menth. syr. menth. āā unc. j. aq. ejusdem unc. viij. laud. liq. S. dr. β. quovis bihorio vel trihorio cochlearia duo.

Haec referens VOLTELENNS, II. pag. 77: »hanc ego formulam saepe efficacissimam vidi," inquit. Idem: »genituram in viris exstinguere cur ARISTOTELI et HIPPOCRATI scriptum, vix intelligitur, scribit: cum potius contrarium facere credendum sit." Quod si camphorae analoga sit, si principium camphoratum copiose vehat, ut de mentha piperita (pag. 78.) notavit, haec autem hanc vim habeat,

minus mirum videbitur. Verum de hac camphorae dote postea disserendi erit locus.

Ex hisce dotibus jam superesse videntur vis antiemetica, carminans, emmenagoga. Prioribus etiam addunt, juvare in febre nervosa, adfecta digestionis officina, in spasmo, in rheumatismo chronico, in virtutis nerveae prostratione ex seminis jactura indeque orta vertigine, cf. HUFELAND *Journ.* IV, 3 st. cujus analepticam virtutem augebit liq. anod. min. Hoffmanni, ibid. pag. 135 sqq.

Cunctas hujus herbae dotes ac vires una complectitur virtus carminativa, qua spasmos abdominales solvere, sub pneumatosi intestinali, deprehenditur. Eo modo cardialgiam (*), enteralgiam, cephalalgiam, vertiginem, asthma, colicas menstruales sedare, facta per canalem cibarium crisi gazosa: sive infusione calida herbae, seu aqua destillata, seu elaeosacch. propinetur. Nec negligenda cum terrestribus, cum rheo, cum amaris, cum aetheribus, cum opio copula, prouti aliud horum postulaverit medendi consilium

Enematis formulam adversus colicam flatulentam habet PHOEBUS sub n°. 466. et speciem pro balneis sub n°. 468. II. pag. 256 sq. Ex oleo menth. pip. gtt. xij. cum aeth. sulph. alc. dr. j. quavis hora ad gtt. xij. ex saccharo exhibendo, analep-

(*) BAGLIVI praestantissimum vocat in ventriculi adfectibus remedium.

ticum parare docet, in febribus typhosis, cum torpore intestinorum, ad normam formulae Richterianae, et magis compositae, et magis pretiosae. Geiger utramque mentham, crispam et piperitam unius speciei varietates habet. Cf. Hayne XI. Icon. 34 sqq.

Pertinent ad labiatas, quarum aliae cardiacae, aliae amarae, aliae aromaticae, principiis diversimode mixtis adfinesque; quae oleo aethereo scatent.

Dierbachio observante, aliis aegris umbellatae, aliis labiatae magis prosunt, quod pendet ex reagente subtiliter genere nervorum.

FLORES CHAMOMILLAE VULGARIS ET ROMANAE.

Febribus intermittentibus mederi hos flores jam dudum notarunt Mortonus, Hoffmannus, Schulzius, Pringlius: quo nomine flores chamomillae romanae (anthemis nobilis botanicorum) praestant floribus chamomillae vulgaris: quoniam et fragrantiores et viribus superiores judicantur: saltem amariores sunt et oleo aethereo potentiores. Resolvendi potentia videntur febres dispellere, quamvis ratio etiam habenda anodynae, quae in quibusdam morbis sese sola exserit. Haec Jo. Andr. Murray de ipsorum virtute febrifuga hypothesis est l. l. I. pag. 146.

Cum cortice peruviano nequaquam comparari merentur, si de vi specifica quaeratur: nec licitum, sunt verba MORTONI, nec decorum, experimenti caussa certo et experto remedio magis incertum et minus exploratum praeferre. Possunt tamen egregie convenire, ex sententia VOLTELENI, si quae caussa corticis usum vetet, si febris incerta, irregularisque fuerit accessio, si viscerum obstructiones simul adfuerint, si denique dolores et spasmi intestinorum febrem comitentur.

In hac rerum conditione infus. flor. chamom. cum sale ammoniaco praescribunt. Ego saepius theam parandam curavi ex flor. cham. rom., hb. card. bened., herb. menth. cr. et rad. calam. arom. mihique contigit hoc pacto febres, adversus corticem rebelles, fugare.

Verum videamus, experientia teste, quid de hâc potentia febrifuga chamomillae censendum sit.

Earum intermittentium remedium esse, quae ex torpore et obstructione viscerum abdominalium pendent et volatile et tonicum principium requirentes quibusque tollendis cort. peruvianus ineptus est, arbitratur VOIGTEL. Febribus hystericarum et hypochondriacorum idoneos existimat RICHTER, ubi spasmi intestinorum, ubi et nervorum intestinalium erethismus corticem peruvianum non tolerat. SOBERNHEIM qui romanam amaro, vulgarem volatili excellere principio existimat, chamomillam nomine valerianae abdominalis adpellat inque febribus gas-

tricis cum sale ammoniaco compositam cupit.

Atque his positis characteribus pharmacodynamicis, quid exspectandum sit ab hisce floribus in aliis neurosibus intelligitur et quo jure colicae antidotum dixerit BAGLIVIUS: in colica nimirum spasmodica, flatulenta hypochondriacorum, hystericarum, spasticis catameniorum turbis, colica menstruali, colica gravidarum, puerperarum, dummodo absit congestio, irritatio, inflammatio: ac praesertim vero in iis neurosibus abdominalibus proderunt, in quibus per cutim crisis exspectanda est: in morbis igitur catarrhalibus, rheumaticis, quapropter et hydropem et icterum, sub constitutione epidemica sive catarrhali, sive rheumatica, hujus medicinae auxilio dispulsum esse, quemadmodum mecum observarunt alii, nequaquam mirum vobis videri poterit.

Caeterum, contra ac SOBERNHEIM, et aroma et amaritiem in romana abundare existimat DIERBACH: hinc magis stimulare atque aliquid principii adstringentis habere et virtutibus adfines esse millefolio et arnicae, quae ut chamomilla (vulgaris maxime) oleo aethereo gaudent coloris caerulei.

Infusio chamom. vulg. sit unc. β ad colat. unc. vj — viij; cham. rom. unc. β — unc. xij. Crebro etiam et utiliter ad enemata adhibentur: tum quoque ad epithemata, ad cataplasmata, ad balnea topica et insessus, cf. PHOEBUS l. l. pag. 213.

SAMBUCUS.

Est genus morborum, catarrhos vocant, quorum origo a cutis functione laesa, symptomata ab antagonistica membranarum, praecipue mucosarum irritatione, cui levissimum hoc nervinum, concitata diaphoresi, saepenumero ab ipso principio medetur. Huc refero sequentia erud. WERLHOF verba, monentis: in pleuritide, praeter venaesectiones, decoctum simplicium florum sambuci frequenter calide ad aliquot uncias exhibitum, egregia praestitisse. »Prima, sic pergit *Opp.* pag. 734. hujus medicamenti, quod evidentis adeo in externis inflammationibus et tumoribus efficaciae est, ad hunc internum morbum inflammantem applicandi occasio fuit puerperae lactantis pleuritis declinans, cui, ut una fidelia duos dealbarem parietes, resolvendo inflammationum reliquias et lacteos tubulos aperiendo hosce flores, adeo ad lac augendum a LANGIO in Miscellaneis et WEDELIO in Amoenit. mat. med. intrinsecus commendatos mihique eodem scopo haud infeliciter usitatos, praescribebam. Successus in doloribus residuaque febricula ex inflammationis reliquiis tollenda felicitas me excitavit, ut incipiente praecedenteque etiam pleuritide euporiston hoc adhiberem. Idque felicissime factum est, praesertim in viro quodam fere sexagenario, chronica tussi cum re-

currente haemoptoë tabefacto, cui pleuritis vehemens supervenerat, vix relicto efficacibus aliis remediis loco, ubi hoc fere unum inflammationem febremque expugnavit, extus juvante emplastro hyoscyami cum camphora." Et alterum QUARINI testimonium: (*de Infl.* pag. 275.) praestantius in adfectibus rheumaticis non inveniri remedium ac rob. sambuci, quod ad uncias 3 et 4 de die exhibitum absque motus augmento solvit, corpus ad diaphoresin, diuresin et alvi excretionem disponit." Eodem sensu intelligi debent sambuci laudes in morbillis, in erysipelate, in hydrope ipsisque febribus morbisque sthenicis et a nonnullis medicis ejusdem ad species pectorales commendata additio; MURRAY, IV. pag. 15 sq.: etiam ad derivationem, aut revulsionem in cutim et crisin per sudores promovendam.

Harum dotum explicationem pharmacodynamice hunc in modum tradit: notum est in omni genere, sambucus nomine, acrimoniam inesse, quod utut in floribus per saporem non detegitur, tamen actione dynamica se manifestat, promovendo secretionem longe efficacius, quam ex pauxillo olei aetherei exspectaveris (VOGT, I. pag. 540.) Cui oleo aethereo in sambuco adjunctae sunt particulae salinae et sulphuris vestigium, mucilagineis particulis involutae, notantibus SOBERNHEIM l. l. et DIERBACH, l. pag. 334.

Caeterum, animadvertente PEREIRA, flores dia-

phoreticam, baccae diureticam, liber sive cort. medianus hydragogam virtutem possidere videntur.

Pertinent ad caprifoliaceas, quae hodie in duas familias distinguuntur.

Phoebus praestare monet ex floribus theam parare et continuo bibere calide, etiam aliis additis, II. pag. 215. (Hayne, IV. 16.)

Sambuci infuso addi solet acet. ammon. liq. sive Mindereri spiritus et rob. sambuci: interdum oxymel, aut acetum vini: in chronicis vel stibiata addi possent, vel pulveres e sulphure, sulph. aurat. antim., kerm. min., extr. aconito ex samb. infus. propinari.

Quae hoc loco a Richtero traduntur, summitates meliloti ad discutiendum, hb. rorismar. ad oculorum infirmitatem, in lotione pariterque ut analepticum lavend. spiritus, herb. chaerefolii, ut antiscrofulosum, ung. laurin. in paralysi, ol. macis, ut corrigens rhei, fabae pichurim, ut remedium fluoris albi, caryophylli aromat., ut chinae corrigens, hi et nuces moschatae, ut analepticum externum, adhibentur.

CINNAMOMUM.

Dotes pharmacodynamicas in multis vegetabilibus et vegetabilium partibus varie mixtas, uti observamus in aliis alias, ita in cinnamomo cum

stypticis conjunctas cernimus analepticas. Atque exinde, cur idem remedium in neurosibus pariter atque in haemorrhagiis alvique profluviis celebretur, explicandum est.

In typhosis febribus et peripneumoniis ita dictis asthenicis, regnante Brownianismo, a medicis laudatum est: rectius in atonia paralytica iisque neurosibus, quas inanitio vasorum, jactura seminis, haemorrhagia, profluvia quaecunque, sudoresque nimii provocaverant.

Ob duplicem virtutem: analepticam et roborantem in duabus maxime morborum formis praedicari solet: in diarrhoea nempe et metrorrhagia; in quibus abusus major, an usus sit, dici vix potest. Nam cum medici vulgares non satis discernunt inter profluvia ab irritatione et inter profluvia a paralysi aut atonia, crebro peccant. Si cum dolore diarrhoea et torminibus, si mucosa intestinalis ex phlegmasia lenta et occulta aegrotet, cinnamomum non minuet, sed augebit profluvium. Similiter, si cum metrorrhagia orgasmus et inflammatio chronica, si secundinarum reliquiae uterum et uterina vasa stimulent, cinnamomum nociturum est. In sola atonica paralytica metrorrhagia post partum juvare poterit.

Ex eo paratus pulvis, tinctura, spiritus, aq. destill., ol. aethereum, vario consilio adhibentur. Etiam elect. catechu similiaque, praeter alia aromata et hoc habent.

In cinnamomo inesse ol. aethereum et acid. tannicum, animadvertit PHOEBUS. Praesertim adhibentur tinctura et aqua destillata. Pars est pulv. aromat. Ph. Belg. praeter cinnam., pulv. cardamom. et zingib. aequa portione continentis.

CUBEBA.

Cubeba efficax ventriculo debili indeque nata vertigine: unde saccharo obductum prostat apud pistores dulciarios in usum feminarum hystericarum. Ex hisce a celeb. de *Mat. Med.* auctore MURRAY adnotatis effici potest, tamquam stomachicum domesticum pridem usurpari solere.

Nuper in blennorrhagia et blennorrhoea urethrae usurparunt praecipue Angli, Indorum ad exemplar, et quidem ad drachmam unam ter de die. Ubi alvum fluentem concitabat, opii quid addebatur. An vero, quae multorum opinio est, ab ipso initio dari possit sine incommodis, dubitant prudentiores. RICHTERUS utilem habet in blennorrhagia lymphatica phlegmaticorum, ac nisi intra 6 aut 8 dies juvet, supervacaneum habet usum protractiorem.

Est autem principium activum (cubebinum vocant) ex oleo aethereo resinoso, animadvertente DIERBACHIO. PEREIRA specificam actionem censet in systema genito-urinarium, qua urina coloratior

fit: et apud Indos ut aphrodisiacum adhibetur. Aliis prodesse visum est, derivando, revellendo, aliis inflammando urethram. In cystitide chronica lethalem casum ex dosi nimia commemoravit. Vidit CHRISTISON, sub motu febrili ephemerino cessare urethrae profluvium et laudat efficaciam sub forma pulveris cum aqua et lacte. Inter auctores de methodo hujusque effectu non convenit. Et quamquam Angli in blennorrhagia celebrent, Germaniae medici in blennorrhoea praescribere malunt. Cf. PHOEBUS, II. pag. 155.

Pertinet ad urticeas, piperaceas; in quibus plantae nutrientes (ficus) et venenatae (ypas) tamquam in ludibrio theoriae, quae similia principia in ordinibus naturalibus quaerit. Cf. DIERBACH l. l. pag. 288.

Quae apud RICHTERUM sequuntur: cardamomum transitum facit ab aromatibus acribus ad fragrantia; vanilla aphrodisiacum, emmenagogum, exhilarans, in melancholia censetur salubris. Semina anisi, anisi stellati, anethi, foeniculi pectoralia, etiam galactopoïa; carvi, cumini, coriandri stomachica VOGTIO habentur.

TANACETUM.

Herbam in arthritide non spernendam, hoc nomine Brittanniae medicis olim cognitam et loco

absynthii feliciter in hydrope usurpatam in decocto, dum lotium movit, in *App. Med.*, I. pag. 130 sq. notavit MURRAY. Porro contra vermes efficax ex HOFFMANNI multorumque aliorum testimonio dicitur; qui non herbae modo, sed et aliarum partium, seminum inprimis rationem habuerunt.

Celebrioribus electariis anthelminticis insunt: cf. de *Art. Med.*, II. II. In enemate cum lacte adversus ascarides efficacissima medicina est.

Ex connubio principii amari resinosi et aetherei oleosi habetur nervinum vitae plasticae: illud in herba, hoc in semine abundare dicitur, quapropter sunt, qui ad augendam illius efficacitatem utramque praescriptam cupiunt.

DIERBACH indicavit illius adfinitatem cum absynthio et santonico. Icon. vid. ap. HAYNE l. l. II, 6.

SANTONICUM.

Plurium artemisiarum vim vermifugam noverant veteres.

Semen Santonicum, Levanticum tempore equitum sanctae crucis ex Palaestina in Europam traductum videtur.

GEIGER ex quatuor speciebus Artemisiae *summitates* haberi, sub nomine sem. santonici, scribit.

In puella decenni menstrua simul sollicitasse, observavit Bergerus et infanti semestri taeniam expulsisse, Hufelandus.

An principium proprium, santoninum? Extractum spirituosum (resinosum) et oleum aethereum, nuper parata, notavit Richterus, *Suppl. B.* pag. 403 sq.

Belli sacri tempore advectum fertur Africanum: optimum vero Levanticum, monente Geiger. Variis adpellabatur nominibus: semen sinae (ex sina) semen contra (vermes) semen sanctum (ex tellure sacra).

Infantibus morosis cocciolata vermifuga apta: Richter, III. pag. 156. Phoebus infantibus praescriptum cupit e lacte, aut coffea, sive forma morsulorum, placentarum, cocciolatae, clysterum. Praeterea pulv. cum ferro et electuarium proponit. Et hujus quidem sequentem formulam reliquis ob saporem minus nauseosum praeponit: ex pulv. rad. valer. min., filicis excort. pulv. sem. cin. āā dr. iij. mell. comm. q. s. f. elect. 4. dd. cp. j — ij.

FILIX MAS.

Vis vermifuga, jam ab antiquo inde tempore cognita, deinceps confirmata, postquam methodi Herreuschwandtiana et Noufferiana publici juris factae sunt, adversus taeniam latam et taeniam so-

lium: de quibus cf. Lib. 11. P. II. *de Art. Med.* quaeque ad priorem speciem efficaciores, quam ad alteram. Alias methodos notavit RICHTER l. l. III. pag. 161 sq. Hae, ut magis minusve compositae sunt, ita dubium superest, quam partem curationis sibi vindicare possit hocce, de quo nunc agitur, medicamentum. Dubium sustulit medicus Genevensis PESCHIER, ex eo parato oleo filicis maris aethereo, per quod repetito saepius experimento contigit vermem necare, quem postea leve catharticum expellere consuevit. Testimonia medicorum, quae hujus olei, sive ut aliis adpellatur, extracti aethereo-resinosi, efficacitatem ad expugnandam taeniam probant, collegit DIERBACH, in libro, cui titulus: *die neuesten Entdeckungen in der Materia Medica*, 1 B. p. 107 sqq. primum medici clinici Breslaviensis EBERS, tum medici Berolinensis SCHÖNEMANN, nec non virorum doctissimorum WALTER, SALZMAN, MAYOR, caet.: unde efficitur esse ex efficacissimis anthelminticis, quod specifica virtute taeniam praesertim latam, sive bothriocephalum latum necando, cito, tuto, sine incommodis, aut damnis expellit ab ipsisque hystericis bene toleratur, quodque etiam pilularum forma praescribi potest. Videtur tamen altera species pulverem ipsum recentem requirere, ut post administratum sive extractum aethereum, sive pulverem tempore vespertino, altero mane per oleum ricini exturbetur taenia. Secundum alios, ante

catharticum oleosum, altera dosis remedii praemittitur, post horam exhibito oleo cathartico. Adcuratius methodum perscripsit Riecke (*die neuern Arzneimittel*, 3 Aug. pag. 284 sq.) addiditque eam, quam ipse usu habuit comprobatam. Corpore videlicet per biduum, exacta diaeta praeparato, jubet aegrum, mane per quatuor horas continuas dr. β extr. aeth. sumere, ex sacchari pulverisati cochleari ac tempore intermedio ol. ricin. cochl. j haurire, postea ingestis pulveribus ex calom., g. gutta et sacch. Tunc autem potissimum hac methodo utitur, quum fragmenta taeniae sponte secesserint. Adversus taeniam solium duplex dosis requiritur. In hanc methodum animadvertimus, propter drastica non omnibus convenire.

Hisce aptior videtur methodus Peschierii, quacum conveniunt, quas proposuerunt Radius, Ebers, Beral quasque tradidit ibidem pag. 285. Exstant etiam aliorum testimonia contraria, iterato licet administratum profuisse nihil. l. l. pag. 284.

SABINA.

In uterino fluxu potens (*); qua vi abusae ferun-

(*) De usu sabinae in morbis mulierum cf. Wedekind in *Hufel. Journ.* X, 1, pag. 66 sq. Voigtel, II. pag. 278 sqq.: praeci-

tur scelestae matres ad abortum concitandum, sed haud absque proprio vitae periculo vel ante partum, vel mox post istum. Haec, ut refert MURRAY l. l. I. pag. 42, ita aliorum simul citat contrariam sententiam. Videtur tamen vetus traditio recentiorum confirmari experientia, teste RICHTERO, II. pag. 165 sqq. et VOGTIO; quorum ille casum citat notabilem monetque, metrorrhagiam concitare; hic foetum per eam necari apoplexia sicque provocare abortum opinatur. Quod utrum observatione nitatur, ignoro; multos autem neonatos hac morte perire per caussam licet incognitam, nuper observatum esse, scio.

Plura sunt, quae testantur vim ejus peculiarem in systema uterinum: historia graviditatis eo impeditae apud KLOSIUM; metrorrhagia, quin ipsa uteri phlogosis per eam concitata; casus sanatae per eam leucorrhoeae septennis; efficacitas in morbis uteri atonicis, anomalis: in chlorosi, in connubio cort. peruv. et martialium; virtus emmenagoga tanta, ut validissimum emmenagogorum in omni materia medica vocet PEREIRA.

VOGTIUS medium reponit inter acria et balsamica, quod in systema lymphaticum, fibrosum et venosum uterinum ei agere irritando videtur.

PHOEBUS formulas habet pulv. c. aloë, ferro,

---

pue utilis ad medicamina in uterum dirigenda videtur. — Familia naturalis: coniferae. — Juniperus sabina.

croco: olei in pilulis, mixtura gtt. ½—iv, elaeosacch., tinct. II. pag. 558.

SASSAFRAS.

In rheumatismo chronico et podagra valde celebratur, etiam MONARDI auctoritate, referentis, se quibusdam decocto opem tulisse, quibus ita artus distorti fuerant, ut iisdem uti nequirent. Decrevit fiducia in lue venerea, quae olim magna fuit, ut guajaco fere suppar haberetur. Hydropem dispellere pluribus exemplis exploratum, quorum memorabile hoc, a VALLISNERO propositum, de moniali sexagenaria ascite et artuum hydrope correpta, et post multa incassum tentata, tandem decocto sassafras, bis per diem poto, quod copiosum lotii effluxum creavit, sanata (*). Similis successus in Virginia crebro observatus. Praestat infusum ex ras. lign.; vulgo autem decoctum eligitur, magis minusve saturatum, pro conditionum ratione: ex. c. ligni unc. β pro aquae libr. j. Habet tamen liquida forma id incommodi saepe, quod initio caput tentet, donec illi sensim aeger adsuefiat. In impetiginibus et scrofulosi laudari adnotavit VOIGTEL: adhibendum autem esse corticem in inf. unc. β—iβ — unc. xvj de die, capiendo.

(*) An hydrops a rheumate? Cf. MURRAY, IV. pag. 538 sq.

Richterus lignum radicis proponit hujusque corticem divitem oleo aethereo. Ebulliat leviter vase clauso. Principio ad sanguinem purificandum et per cutis et per lotii vias; postea in morbis cutis, scrofulosi, in catarrho, in diabete dederunt (cf. id. l. l. III. pag. 174 sq.)

Theae ex eo paratae usum domesticum commemorat Pereira. Decoctis lignorum, aromatis instar, additur hodie in curatione syphilidis inveteratae cf. *de Art. Med.* l. II. P. II.

Phoebus oleum aethereum, resinam, acid. tannicum continere: ideoque si aromaticas vires quaeras, infundi debere, si resinosas, adstringentes, coqui; praestare autem, in decocto lignorum addere, sub finem coctionis, formulamque tradit sequentem: ℞ rad. bard. unc. ij coq. c. aq. comm. libr. iv ad colat. libr. iij. Sub fin. coct. add. cort. l. sassafr. unc. ij rad. glyc. glabr. unc. β D. s. o. bih. cyath.

GUAJACUM.

Copiose de hujus ligni in lue venerea administratione disputat Murray l. l. III. pag. 408 sqq.: unde efficitur, ex medicina domestica Indorum transiisse in supellectilem medicam Europaeam: Hispanorum, Germanorum, Italorum. Primos decocto usos esse et meracissimo, addito pro potione de-

cocto tenui ex residuo, eo quidem consilio, ut corpus implerent diluente, attenuante et balsamico remedio moverentque sudorem, imperata simul diaeta tenui per triginta vel quadraginta dies, interposita purgatione atque subinde excitato sudore per balneum vaporis. Exinde ab hac severa curatione ad mitiorem devenisse; quibusdam placuisse, decoctum dilutius instar aquarum mineralium potare. Ex his fuisse VALSALVAM et MORGAGNUM. Hac via sine multo incommodo et paucis diebus aegros id consequutos, quod alii vix magno labore et multo tempore. Sensim vero declinasse guajaci in lue venerea curanda auctoritatem: immo fuisse, qui ad solam scrofulosam aut scorbuticam complicationem restrinxerunt, aut una dederunt cum mercurio. Nec ita diu post, in rheumatismo chronico adhibitum suppari successu inque arthritide nodosa, tincturae forma, quae in Gallia, Dania, Germania proficua medela fuit. Neque omnibus profuisse nimis calidum remedii genus: quocirca alios solutionem mucilagineam praetulisse, ex decocto hordei vel avenae, praebuisse alios cum sapone. In diathesi pituitosa, paralysi, ipsoque cancro ossiumque morbis: exostosi, carie, impetiginibus omnique acrimonia humorum efficacem exstitisse medicinam, quae sub varia: resinae, tincturae, balsami forma praescribitur.

Hisce subjungere oportet monitum VOLTELENI: podagricis phlegmaticis et quidem extra paroxys-

mum duntaxat convenire inque asthmate rheumatico, sive angina pectoris et rheumatica cephalalgia cum sal. volat. amm., ex WHYTTII traditione, juvasse: tum etiam in hydrope pectoris et abdominis, ejusdem si fuerint originis.

VOIGTELIO placet, resinam loco decocti praescribere: quoniam illa pars est efficax, quae decoctione nonnisi aegre extrahitur; in lue venerea non ab initio, sed post usum mercurii protractum et noxium, torpentibus vasis, praesentibus cutis morbis ossiumque doloribus, exhibere.

RICHTERUS placito VOIGTELII non adsentitur: resinam continere vim medicatam guajaci, ut ligno hujusque decocto haud egeamus; nam eo ipso, quod mitius sit minusque stimulet, quodque partem habeat extractivam, suo pretio aestumari debet. In luis venereae ea forma salubris est, quae cutis adfectionum aut rheumatismi specie prodit, quaeque nuper crebriores factae sunt.

Praeterea in rheumatismo chronico, arthritide, impetiginibus, scrofulis adhibuerunt, quod sin diu adhibeatur, non multum bonae frugis promittit.

In rheumatismo chronico usus sum crebro pilulis ex res. guajaci et sapone, quae Mortoni nomine prostant.

In syphilide praeferunt formam decocti. Decoctum autem fortius requiritur, quare praestat digerere prius aqua fervida, monente PHOEBO.

SOBERNHEIM intermedium habet inter resinosa et

acria: textum fibrosum adficere et glandulas mucosas, incitare vero diaphoresin et diuresin, docens.

Ejus principia feruntur: extractivum acre et resinosum peculiare — guajacinum. HAYNE, XII. 28.

MEZEREUM.

Inclaruit observationibus ALEX. RUSSELL, cui in nodis syphiliticis profuit. Casus sunt numero 17 adfecti periostei; tam a syphilide, quam a scrofulosi, cui sic medebatur decoctum sarsaparill. cum mezereo, ut tumores disparerent; quodsi ipsum os esset aegrum, aut cariosum, huic sanando impar deprehendebatur.

Subscribit RUSSELLII experientiae de vi hujus cort. cl. HOME, *Clin. Experim. etc.* pag. 428 sqq. inque variis tumoribus duris scirrhosis, tum aliis, tum glandulosis utilem expertus est hunc corticem. Haec experimenta si conferamus, videbimus, discussisse nodos venereos, sedasse dolores nocturnos, curasse ulcera venerea atque universe profuisse in arthritide, syphilide, scrofulosi inveteratis.

Est autem remedium acerrimum praeditum principio resinoso acri et proprio, daphnino: sive resina acri et oleo aethereo.

Pertinet planta ad thymelaeas, quibus princi-

pium acre causticum. Quoniam vero inflammat, adinstar cantharidum, parca dosi dr. β — ij in unc. xvj, ad colat. unc. xij addita glycyrrh. et sarsapar. propinatur, et usu externo si administratur cortex, saepenumero mutandus locus, ne ulcera excitet prava malique moris.

Icon. vid. ap. HAYNE, III. 43.

CITRUS AURANTIUM.

Multiplicis usus est in medicina. Fructus maturi antiscorbuticum, cortex stomachicum, folia, flores, analepticum, nervinum, antiepilepticum esse feruntur.

Fructus maturos in scorbuto laudavit LINDIUS. Corticis virtus febrifuga, post alios, a WERLHOFIO quoque celebrata est. In quartanis ex vitio ventriculi cortici peruviano suppar habetur. Duplici virtute: stomachica et analeptica prodesse credideris. Nec tamen semper febrem sustulit: interdum utiliter ipsi elixirium vitrioli additum, In fluxu mensium immodico celebravit SEPTALIUS. In morbis nervorum, praecipue hypochondriasi tincturam suam compositam ex cort. aurant., cort. peruv., rad. gentian. et sp. lavend. commendavit WHYTTIUS. Etiam convalescentibus ex jactura sanguinis eximium instaurans elix. episcop. celebratur.

Folia laudarunt DE HAEN et TISSOT, in epilepsia,

iisdemque epilepsiam ex nimia venere sustulit Hufelandus. Quoniam vero alia addi solent, ab additis hisce vim repetit Sobernheim. In vertigine hypochondriaca profuisse dicuntur inque mitiori adfectione hysterica per aquam florum naphae somnum inductum ferunt (Christison). Folia nuper ut antidotum theae viridis laudata. Oleum neroli, sive florum naphae, pretii carissimi, ad parandam aquam Coloniensem adhiberi dicitur.

Mors infantis ab esu corticum inducta traditur (Pereira).

Poma curassaviensia a propria specie repetit Geiger l. l. II. pag. 943.

RAD. CALAMI AROMATICI.

Ad praestantiora stomachica pertinere, ubi aromata conducunt, vertiginis esse remedium, si ex vitio ventriculi proficiscitur, scorbutum eo subactum esse et febres intermittentes sedasse, cort. peruv. frustra adhibito, adnotavit Murray l. l. V. pag. 41 sq. Hisce addidit Voltelen, II. pag. 51. l. l. prodesse in cachexia, leucophlegmasia, chlorosi, paralysi.

Nuper in febribus remittentibus, asthenicis tamquam nervinum commendarunt Horn et Wedekind: quod notans Voigtelius, adcuratius definivit indicationes ejus: referens ad gradus mitiores ty-

phi cum asthenia organorum digestionis: in febribus porro intestinalibus, etiam intermittentibus, in scrofulis, crusta serpiginosa, ex diathesi scrofulosa, ulceribusque syphiliticis, post adhibitum mercurium exasperatis, id est, ut ego conjicio, mercurialibus, conducere praecipiens.

Auctore RICHTERO, III. pag. 190, iis praesertim aptus est, qui post crisin peractam convalescunt, ubi a volatilibus ad roborantia transeundum est. In cachexia arthritica, hydropica, scrofulosa et morbo verminoso, laudatore praecipue HORNIO, in pulvere, electario, infusione, additis aliis volatilibus, acidis, tonicis ipsoque cort. peruviano.

VOGTIO videtur transitum facere ab angelica ad cascarillam. RICHTERO radix efficacissima habetur initio veris et sero autumno. Vis in arcto connubio haeret principii oleosi aetherei et extractivi: accedit propria aroïdeis acrimonia, hic mitior tamen.

Hoc loco monet DIERBACH, amara ex adfinitatibus vegetabilium esse dijudicanda, ad praxin fortunatam neurosium: hoc autem idoneum roborans haberi insanientium, ex febre convalescentium, cachecticorum.

Optimum vero adjuvans c. peruv. habet THOMSON.

Pertinet ad aroïdeas HAYNE, VI. 31. originisque exoticae inter nos numquam fert fructus. Huic, ut adjuvans, addi utiliter posset cort. Wintera-

nus, qui saepe perperam confunditur cum canella alba: in illo adest principium coriarium aromatico copulatum: commendatus est in scorbuto a WINTERO, navis duce.

Equidem saepenumero rad. calami aromat. usus sum in infusione sive cum aethere acetico, sive cum elixirio vitrioli Myns. tam ad neuroses febriles, non febriles, ex ventriculo infirmo oriundas sanandas, quam ad emendandam sanguinis dyscrasiam scorbuticam, hydropicam, ac tum potissimum salubrem expertus sum, ubi cum vitio digestionis vitiata esset sanguinis crasis, quo nomine etiam in febribus intermittentibus visus est prodesse calamus, in specie herbarum amararum aromaticarum: cum flor. chamom. rom., herb. card. bened. et herb. menth. pip., qua specie instar theae infundenda neuroses intermittentes fugavi, cortici febrifugo rebelles. De salubritate in hydrope, praeter mea, exstant plurima aliorum testimonia. In scrofulosi, syphilide, arthritide nondum adhibui ideoque judicium meum interponere nequeo.

CASCARILLA.

Initio cum cortice peruviano confundi eique aequiparari solebat adhiberique in intermittentibus hic cortex, saepe frustra hoc fine datus. Interdum utiliter illi cortici additur, ventriculo imbecillo,

aut intestinis, alvi fluxu a cortice concitato, factave virium jactura. In profluviis alvi deinceps merito celebratus, praecipue faeculentis, mucosis: siquidem in cruentis praestare simarubam, auctor est MURRAY vir. cl.

Teste VOGTIO prodest, ubi major secretio mucosae, minor actio cutis, cute pallida; viribus ex jactura seminis infirmis, notante SOBERNHEIM, inque tabe nervosa, animadvertente DIERBACH, aut tabe dorsali, ex mea observatione. VOGTIO in febre asthenica prodesse visa est cascarilla, debili systemate gastrico, in febre mucosa hectica, diarrhoea chronica a laxitate, cachexia mucosa, lienteria, infantum diarrhoea scrofulosa, et scrofulosa pariter atrophia.

Equidem crebro adhibui in connubio lichenis islandici, minori tamen, quam vulgo praescribitur dosi. Nam ut PHOEBUS dosin in decocto praescribit corticis unc. semis ad colat unc. vj. sic ad lichenis decoctum unc. xvj. unciae uni lichenis island. addidi dr. ij. — dr. iv. cort cascarillae.

Croton eluteria est ex euphorbiaceis. In cortice principium amarum est, resinosum et aethereum. Duas resinas in ipso detexit TROMSDORFF (*).

(*) Ut amarum tonicum, ut aromaticum nervinum, in atonia ventric. intestin. inque phthisi nervosa praedicatur hic cortex, tamquam roborans medullae spinalis.

RAD. HELENII OFFICINALIS.

Ab antiquo inde aevo in morbis pectoris et ventriculi adhibetur. In phthisi et dyspepsia laudavit Alexander Trallianus. Ob vim stomachicam eximiam pater stomachi dici solebat. Recentiores in morbis pectoris, stomacho debili, catarrho, tremore mercuriali praescribunt. In morbis cutaneis commendavit Voigtel. Pertinere ad aromata acria adfinisque senegae, calamo aromatico, zingiberi Vogtio videtur. Dierbachio contra licheni islandico, benzoë, salviae, hyssopo, arnicae, farfarae. Sobernheim praecipue ad mucosam pulmonalem refert ejus vim therapeuticam. In blennorrhoeis pulmonum et intestinorum utilem praedicat Dierbach.

Est ex syngenistis s. compositis, aut asteraceis Lindley: quorsum pertinet chamomilla, artemisia, arnica. Geiger h. l. citat versiculos salernitanos:

Inula campana
Reddit praecordia sana.

In infuso aut decocto administratur. Ego in decocto uti soleo et si diaphoresis promovenda, addo sp. Mind., rob. samb., si pectori medendum, lichen. island. aut form. pilul., ex pulv. et extr. Antiqua formula est ex melle in linctu. Corrigitur glycyrrhiza.

Radix vere colligenda et siccanda probe. HAYNE VI, 45.

PHELLANDRIUM AQUATICUM.

Semen phellandrii aquatici, virium nondum probe cognitarum videtur VOGTIO, helenio tamen analogum: quapropter consulamus traditionem medicam et conemur ex ea problema hocce solvere, initio facto ab auctoribus de re medica priscis.

Usus ejus fuit in ulceribus praesertim scrofulosis, tum in phthisi scrofulosa, denique in phthisi pituitosa. In catarrho chronica et asthmate pituitoso plurimum laudat VOIGTEL multaque virorum doctorum testimonia pro ejus salubritate in morbis phthisicis collegit RICHTER. Secundum aliud aliudque medendi consilium cum variis medicinis rite copulatur: cum pulv. liquiritiae, saccharo lactis, pulv. gummoso, lichene carachenico, lichene islandico, cortice peruviano, extr, myrrh. aquoso caet.

Equidem crebrius magno aegrotantium commodo praescripsi, in ulceribus internis cum aliarum partium, tum ipsius pulmonis, praesertim quum abesset diathesis phlogistica, etiam ubi cachexia hydropica cum phthisi, ubi blennorrhoea pulmonum, infantibus puerisque phthisicis ex catarrho protracto, ex morbillis aegrotantibus, ulce-

re pulmonum laxo, atonico, cruento. In phthisi catarrhali sive pituitosa, quae dicitur, magno in pretio habuit nostras E. J. THOMASSEN à THUESSINK vir. cl.

De loco, quem inter medicamina occupat, controversia est: alii ad acria, alii ad narcotica, alii ad nervina referunt. Pertinet planta ad umbellatas: habet ol. aethereum et principium extractivum. A VOGTIO ad helenium accedere creditur.

Dosis pulveris est gr. x — xx. A parca dosi incipere soleo: sicque et minus irritat et magi juvat. Cf. HUFELAND. *Journ.* II. 1. pag. 1 sqq.

SARSAPARILLA.

A primis inde temporibus syphilidis per Europam saevientis magna sarsaparillae laus fuit in hac labe curanda. Instaurarunt hanc curationem FORDYCE, HUNTER, PLENCK. Casus a FORDYCE relati *Med. Obs. et Inq.* I. pag. 149 sqq. testantur magnam illius potestatem in domandis adfectibus venereis plurimis, nec tamen semper fidum fuisse remedium: siquidem haud rara fuerit, post protractam etiam et largam remedii administrationem, recidiva. Caeterum quam plurima ingreditur arcana antisyphilitica: roob antisyphiliticum Laffecteur, decoctum Pollini, methodum Sainte-Marie. Commemorari etiam debet observatio DIERBACHII febris hac radice suscitatae, syphilidem curantis.

Citat THOMSON experimenta doct. BATTLEY, quibus effici videtur, non opus esse diuturna coctione (*). Secundum PHOEBUM optima parandi formula est infusi cum aqua calcis, aut diuturna digestio.

Pertinet ad smilaceas.

SAPONARIA.

Sarsaparillae suppar nonnullis reputatur. Usus in dyscrasiis.

PHOEBUS praescribit unc. j — unc. xij. Principium acre, amylaceum, gummosum continere dicitur. HAYNE, II. 2.

CHELIDONIUM MAJUS.

Herba, radix icteri remedium jam antiquitus reputatum. MURR., II. 301. FORESTUS succo expresso lienem dolentem sanavit. Exprimatur mm. Aprilis, Junii. In hydrope, febre intermittente, commendavit LINNAEUS: contra initium suffusionis oculorum HILDANUS; ad verrucas, ulcera alii.

Secundum GEIGER continet alcaloidea, resinam acrem, materiem extractivam, principium coria-

(*) Ex mea experientia perquam efficax est decoctum, paratum methodo a doct. SWEDIAUR proposita: cf. *de Art. Med.*, II. 1.

rium. Formulae prostant extracti, cum g. ammoniac., as. foet., extr. amar. Succus chelidonii, taraxaci, fumariae cum aeth. acet. proponitur a PHOEBO, II. 248. HAYNE, IV. 6.

RAD. RAPHANI RUSTICANI (ARMORACIAE).

Antiscorbuticum, ut aliae cruciferae. HAYNE, XI. 41.

HERBA COCHLEARIAE.

In scorbuto primaria stirpium antiscorbuticarum cum acetosa. Optime lactucae instar adhibenda.

HERBA ET FLORES CALENDULAE OFFICINALIS.

Nuper in cancro aperto usu externo et interno a WESTRING laudata est. Cf. RICHTER, II. pag. 29 sq. — HAYNE, IX. 47. PHOEBUS l. l. II, 212, 246.

HERBA JACEAE.

In crusta lactea infantum laudatore STRACKIO. Firmavit THILENIUS, I. pag. 123. De administrandi modo copiose PHOEBUS, II. pag. 265. HAYNE, III. 5. Varietas minus efficax ibid. III. 4.

RAD. PIMPINELLAE ALBAE.

Ad tussim, asthma, menses, lochia RICHTER, II. 169. Tinct. pimpin. ad gargarismata. HAYNE, VII. 20.

RAD. ZINGIBERIS.

Stomachicum MURRAY, V. 57. Extractum in quartana phlegmaticorum. — In blennorrhoea genitalium. Ad uvulam relaxatam.

Praeparata. Emplastrum ad cephalalgiam in fronte (PEREIRA). Syrupus zingiberis. Cerevisia zingiberis. Conditum zingiberis, PHOEBUS.

VINUM.

Egregium analepticum in morbis nervorum, vacuo ventriculo (WHYTT.) In typho dilutum, praesertim Rhenanum.

Vinorum singulorum indicationes exposuit DIERBACH, II. pag. 759 sqq. (*).

(*) Omnem hunc locum copiose interpretatus est vir. cl. MITSCHERLICH in libro *de Mat. Med.* Vol. II. pag. 264 sqq.

Acetum analepticum in typho et mania (Locher).

Etiam enematum aut lotionum forma: in typho, veneficiis (*).

Alvum solvens pertinaciter clausum (Herz).

Aceta bezoardica — oxymel.

Sp. vini, aqua dilutus, analepticum in morbis nervorum.

Usus externus in ambustis (Sydenham) ad maculas scorbuticas — pruritum.

Aetheres: aether aceticus analepticum, diaphoreticum, aether nitricus diureticum, aether sulphuricus stimulans, aether muriaticus antisepticum habetur.

EMPYREUMATA.

Oleum animale foetidum adversus taeniam in epilepsia verminosa, paralysi rheumatica, Richter, III. pag. 284 sq.

Historiam medicam vid. ap. Voigtel, III. 621 sq.

Usus in acutis ad gtt. v — xv oh. a. bih., in chronicis gtt. x — lx. 2, 4 dd. ex sacch. in capsulis. Phoeb. II. pag. 371 sq.

Oleum animale foetidum, ibid. pag. 372. — Petroleum. Creosotum, actione hactenus vix cognita.

(*) In typho saepius horum enematum vim miratus sum maximam.

Praeter oleum animale foetidum, ex regno animali duo habentur nervina excitantia: moschus et castoreum, de quibus proxime est, ut agamus.

MOSCHUS.

Post tot tantaque moschi encomia hactenus illius pharmacodynamiam nondum rite exploratam esse, confitendum est.

Voigtelio auctore, summum est analepticum, praesertim nervorum animalium et nervorum maxime cutaneorum, sudores movens: in paralysi, spasmis aliaque nervorum anomalia. In typho nec prompte satis, nec apta dosi exhiberi monet. Etenim non exspectandum, donec summa debilitas sit, aut febris fuerit in vigore summo, neque ob aestum, anxietatem, urinam coloratam, cutis ardorem, pulsuum frequentiam seponendum, nec minori, quam granorum trium dosi dandum, subinde usque ad octo, vel decem grana adscendendum. Etiam in morbis gangraenosis, aut exanthematicis, renisu praecipue cutis deficiente et in neurosibus: dysphagia spastica, singultu, convulsionibus, tussi quinta, asthmate spasmodico, catalepsi, trismo, tetano, mania, epilepsia, apoplexia, paralysi, arthritide retropulsa, angina polyposa utiliter praescriptum fuisse docet atque Vogelium a granis quinque ad scrupulum usque exhibuisse.

Energeiam sensus organorum et cerebri per eum instaurari arbitratur RICHTERUS, ut organorum irritabilium energeiam instaurat camphora: hoc pacto perspirationi prospicere et spasmos componere et analepticum verum esse nervorum, sine notabili irritatione, aut aestu: id testari experimenta physiologica, quorum meminerunt viri clariss. SUNDELIN et JÖRG; subinde tamen vetari idiosyncrasia hystericarum. In typho indicari oculorum intuitu tristi, respiratione anxia, suspiriosa, voce tremula, typhomania, tendinum subsultu, singultu, convulsionibus, cute arida, sordida, aut sudore profuso, pulsu parvo, tremulo, intermittente: praecipue vero, ubi crisis cutanea promovenda: etiam in febribus exanthematicis inque neurophlogosibus, inprimis organorum spirandi, aut facta gangraena; in spasmis: asthmate Millari, asthmate spasmodico, tussi convulsiva, eclampsia infantum, eclampsia gravidarum et parturientium, epilepsia tum infantum, tum puberum, chorea sancti Viti, mania ex cutis functione laesa, apoplexia nervosa, paralysi, catalepsi, asphyxia, syncope.

VOGTIO auctore potissimum astheniae nervorum indirectae, tam acutae, quam chronicae natisque inde symptomatibus medetur.

SOBERNHEIM infirmitatis sensuum nervorum torpentium, praecipue paralysis sensus remedium reputat.

Citat PEREIRA casum dysphagiae spasticae ex

Culleno, cui solus medebatur moschus.

Ea relata hactenus, quomodo hujus remedii prorsus singularis dotes possint explicare nobisque pharmacodynamiam ipsius explanare, agite videamus.

Pertinet moschus ad nervina, quae dicuntur, medicamenta et quidem ad volatilia, neque immerito veri nominis habetur analepticum. Sed quaeritur, cuinam nervorum provinciae respondeat. Praecipuos pharmacodynamices auctores si consulatis, cerebrum sensuumque officinas praesertim excitari moscho crederetis. Cui tamen conjecturae minus favere videtur traditio practica. Nequaquam enim neurosibus capitis ante alias mederi observationes medicorum testantur, sed potius neurosibus pectoris: asthmati Millari, tussi convulsivae, nec non dysphagiae spasticae atque singultui: tum neurosibus cutis, nervis cutaneis torpidis, paralyticis, porro neurosibus artuum: subsultui tendinum, convulsionibus, spasmis. An igitur nervo pneumogastrico, an nervis vocalibus (nam voce tremula in typho profuisse visus est) an vero nervis spinalibus spinaeque medullae opitulatur (*)? Pro-

(*) Alcohol potissimum agere in spinae medullam: multo minus moschum scribit Mitscherlich l. l. II. pag. 35. Experimenta tamen Tiedemanni, quae citat pag. 310. ibid., contraria docere videntur. An systema excito-motorium tangat haec actio moschi, an ad nervos sensus, an motus pertineat, certe hactenus nemo facile definiet.

fecto magis spasmorum, quam delirii remedium est atque maniacis saepius camphoram, potatoribus delirantibus et vigilantibus saepius opium profuisse existimaveritis, ubi practicorum medicorum consulueritis scripta clinica. Num igitur potius spinae medullam hujusque nervos virtute sua juvet, nec sine caussa, quaeri a vobis poterit. Quod nervis plasticis aegrotantibus minus prosit, docent hystericae et hypochondriaci, qui vulgo nec tolerant moschum, neque admittunt. Quapropter iis neurosibus aptior haberi poterit, quarum prima origo est a nervis cutaneis peripheriçis perque eos adfectis spinalibus motoriis: sicque ex turbato sensus motusque aequilibrio natis spasmis et convulsionibus.

Optimam administrandi formulam esse pulverem a gr. ij — xx, etiam methodo endermatica et per clysteres fuisse adhibitum, denique in emulsione sive mixtura, monet PHOEBUS, II. pag. 350 sq. Tinctura moschi commendari haud meretur. Componitur cum liquore corn. cerv. succin. Icon. vid. ap. BRANDT et RATZEBURG *Medicin. Zoologie* I, VII.

CASTOREUM.

Varia sunt variorum de hoc remedio testimonia. In asthenia nervorum abdominis, praesertim ge-

nerationis organorum muliebrium magni pretii esse ideoque specificum antihypochondriacum atque antihystericum censeri idque solo saepe odore, praecipue in connubio asae foetidae, g. ammoniaci similiumque: hinc tamquam carminans, tamquam emmenagogum, tamquam antispasmodicum ventriculi et intestinorum, tamquam febrifugum, tamquam anti-epilepticum administrari, animadvertit VOIGTEL, III. pag. 381. Pariter laudari in spasmis: tremoribus, asthmate, convulsionibus gravidarum, parturientium, puerperarum, in connubio valerianae, opii, aetheris sulphurici, subjungit.

Ex sententia RICHTERI, III. pag. 320. in morbis febrilibus, typhosis parum a castoreo exspectandum esset, nisi hisce sese adjungant spasmi abdominales: hocque nomine prodesset in febre puerperarum, febribus infantum atque febre intermittente: plus contra praestaret in spasmis chronicis, praesertim clonicis; id est convulsionibus: in hysteria, colica hysterica, nodo hysterico, hysteria libidinosa, ipsoque furore uterino, clavo hysterico caet.: praesertim cum aliis compositum: minus vero universe hypochondriacis opem ferre, quoniam rarius dynamicus hic morbus esse, quam materialis solet. In spasmis pectoris minus juvare, quam in spasmis abdominis, cum aliorum aegrotantium, tum veteranorum arthriticorum. In ipsa quoque epilepsia magna dosi porrectum ita profuisse, ut morbum inveteratum intra duodecim dies sanaverit.

Antiquiores medicos castoreo potestatem tribuisse mitigandi vim opii (*) narcoticam eandemque fuisse sententiam Bonnii, observat idem additque, se saepius vidisse, hystericas et hypochondriacos, quibus opium purum minus prodesse solet, hoc bene tolerasse horumque spasmos prompte composuisse, ubi cum castoreo esset conjunctum.

Transitum facere a nervinis volatilibus ad nervina tonica ejusque vim systemate gangliorum contineri, Vogtio placuit: negat vero specificum esse antihystericum, etsi paullo infra fateatur, in iis neurosibus, quae cum anomalia functionum sexus feminei cohaerent, fructuose fuisse adhibitum l. l. I. pag. 286.

Sobernheim tunc potissimum indicari castoreum contendit, quum anomaliam nervorum comitatur asthenia sensus atque ex ea pendentes proveniant irritationes spasticae: quod, quomodo explicandum sit, non satis capio, nisi voluerit subindicare nervorum sensus torporem cum nervorum motus incitatione conjunctum, ex utriusque generis antagonismo, qualem ex contraria factorum vitae ratione repetere amabant theoriae incitationis professores.

Quod in corpore humano prospere valente non magnas efficiat mutationes, quemadmodum experi-

(*) Celeb. Mitscherlich hujus sententiae auctorem citat Trallesium: *de usu Opii.*

menta physiologica tam aliorum, quam Jörgii testari videntur, illud jure suo praecipiente Dierbachio, nequaquam probat, in aegro pariter iners esse: siquidem et odor et sapor castorei longe aliter monere nos deberent et vero practicorum medicorum et antiquorum et recentiorum observatio et experientia ostendunt, ei virtutem competere eximiam, sedantem, antispasmodicam, praesertim abdomini et utero proficuam.

Auctore Phoebo optima formula pulveris est a gr. ij — x o. 4, 3, 2h. Etiam in pilulis praescribitur et si prompte agere debeat, in tincturis, caeterum minus omnem remedii vim habentibus.

AMMONIUM.

Ammonium purum, quam acre venenum sit, testantur experimenta Orfilae, quibus effici voluit, irritari eo praeter partes, quibus admovetur, genus nervorum, praesertim vero medullam spinalem. Ea autem irritatio medullae spinalis quatenus ipsam veneni vim, quatenus contra partium renisum ostendat, dubium mihi videtur. Nec rem satis exploratam existimo, ut de ea pronuntiare liceat.

Si observationes colligantur et comparentur, videbitur hoc remedium esse nervinum, antirheumaticum, anticatarrhale, in morbis rheumaticis ca-

tarrhalibus, adfectis nervis sympathicis, spinalibus, proficuum.

Est in hoc virtus volatilium cum virtute alcalium copulata: unde genus nervorum pariter et lymphaticorum ac glandularum ipso incitatur ac proprie diaphoreticum calidum dici meretur.

Verum ad hunc characterem pharmacodynamicum, recte a RICHTERO positum, peculiares accedunt in singulis praeparatis dotes: ut sal ammoniacum, sive murias ammoniae, aut si mavelitis ammonium muriaticum, sit subantiphlogisticum, antirheumaticum, acetas ammoniae liquidum, sive spiritus Mindereri diaphoreticum, diureticum, carbonas ammoniae antirheumaticum nervinum, spiritus cornu cervi et liquor cornu cervi succinatus, quod ad empyreumata volatilia refertur, antirheumaticum, nervinum, pectorale: cujus etiam generis habetur liquor ammoniae anisatus.

Hinc usus muriatis ammoniae in rheumatismo ex commendatione HORNII, spiritus Mindereri in morbis catarrhalibus, rheumaticis, hydrope, ictero, ex eadem caussa, liquoris cornu cervi succinati in asthmate nervoso, auctore VOGTIO, angina pectoris, syncope nervosa: in febribus catarrhalibus nervosis, in neurophlogosibus, erysipelate suppresso, repulso, pneumoniis typhosis et ubicunque nervi peripherici excitandi sunt.

Ex hypothesi VOGTII dynamice oppositum foret acido hydrocyanico, quod utrum ex usu in morsu

serpentum et viperarum effici voluerit, quem tamen negat FONTANA, ignoro.

PEREIRA esse antacidum, stimulans, diaphoreticum: in Anglia autem raro adhiberi, scripsit.

VOGTIUS esse resolvens nervinum, tunc maxime indicatum, ubi simul secretiones et excretiones incitandae sunt, perhibet, quae vis resolvens, decompositionis processum promovens, tanta est, ut abusu scorbutum provocasse, observatum sit. Caeterum stimulo volatili promptam quidem, sed minime perennantem irritationem facere ac potentia moscho ac magis etiam camphorae cedere, neque ut illud cerebrum adtingere, praecipit: cui sententiae quoque suffragatur SOBERNHEIM, simul praeter vim nervos excitantem nervorumque systema organicum, etiam vim antacidam celebrans.

Nuper animadvertit MITSCHERLICH, ammoniacalia sanguinis serum mutare, ut magis liquefiat, augere secretiones cutis, renum et mucosarum hasque sub aucta epithelii desquamatione: hoc, quemadmodum conjicit, propter excretionem remedii per has ipsas: unde pariter auctas secretiones cutis aliasque interpretatur.

PHOEBUS salis volatilis c. c. dosin esse gr. 3, sal. ammon. gr. 5—15. dd. immo dr. j, cujus corrigens esse succum liquiritiae; sp. Mind. dr. j, sp. c. c. gtt. 15, liq. c. c. succin. gtt. 20, cum tinct. castorei, tinct. valerian., in spasmis hystericarum; liq. amm. caust. gtt. 5, admodum dilut. et mucil. add.

in veneficio. Praeterea memorare oportet linimentum volatile, sive saponem ammoniae, quod tamquam remedium externum excitans in frictionibus cutaneis administrari solet. Cf. II. pag. 323.

CAMPHORA.

Vix ullum remedium est, de cujus viribus dotibusque tot tamque contrariae prolatae sunt sententiae, quam hoc ipsum: ut alii refrigerantibus, sedantibus, alii incitantibus, calefacientibus adnumerarint, alii alias ipsi in systema generationis aliaque organa tribuerint vires, quas ei abjudicarunt alii. Quamobrem operae pretium est, hic paulisper subsistere remque sedulo animo investigare. Quoniam vero nostra in arte non alia argumenta audienda sunt, quam quae experientiae testimonio sive nituntur, sive firmantur, ab empirica hujus cognitionis parte ordiamur oportet.

Jam diu est, ex quo camphoram in febribus nervosis ac putridis adhibent medici, ubi pulsus parvus, debilis, cutis ad sudorem proclivis, aut sudore frigido tecta, cum delirio, subsultu tendinum, pervigilio, ubi dyscrasiae putridae signa, nec rite erumpant exanthemata, urinis limpidis, cute frigida, pallida, aut frigida, humida, sudore viscido obducta, ubi gangraena, aut erysipelas gangraenosum in typho animadvertatur; in arthritide, rheuma-

tismo atonico, anomalo, chronico, suppressa perspiratione pulmonali, asthmate paralytico; in neurosibus cerebri, mania, melancholia, suppresso cutis munere et spasmodica genitalium contractione, spasmisque systematis uropoietici, satyriasi, tamquam antidotum cantharidum, tam interno, quam externo usu, quo etiam erysipelatis remedium habetur.

Verum singulos morbos, quibus mederi camphoram observarunt, ordine recenseamus.

Itaque primo antiseptica virtute excellere idemque febribus putridis, petechialibus nosocomiorum, carcerum, pestilentialibus, gangraenosis, variolis putridis, caeterisque exanthematibus languentibus, retrogradis, in febribus lentis nervosis, delirii etiam et anxietatis remedium, et inflammationibus rheumaticis, erysipelaceis oppositum existimatur.

Ex neurosibus chronicis praecipue notanda mania est, cui medetur camphora aceto mixta, Locheri ad exemplar, ab aliis compluribus praescripta: prae aliis vero monomaniae, sive melancholiae iisque aegris, quorum facies pallet, extrema frigent, respiratio languet et torpent arteriarum ictus, nec desunt aliarum partium: genitalium, artuum spasmi. Denique in morbo verminoso, potissimum vero cum febribus complicato.

Nonnullorum quoque pharmacorum corrigens habetur: cantharidum, mercurii, squillae, opii, at-

que cort. peruv. vim antisepticam juvans. Nocet autem rigidis, plethoricis, morbisque phlogisticis, gastricis, atque in universum a minoribus dosibus incipiendum, praeterquam in maniacis et melancholicis, qui uti aliarum medicinarum, ita et hujus magnas doses et postulare et tolerare deprehenduntur.

Et sensum et irritabilitatem incitare camphoram docet RICHTERUS, saepe vero excedentem sensum prae irritabilitate ita compescere, ut haec illum domet eodemque modo stimulum venereum extinguat (*).

Inprimis autem generis vasorum debilitatem corrigere deficientemque instaurare orgasmum, sub signis collapsus, ideoque in typho cum torpore, nervosa lenta, neuroplogosibus, sive inflammationibus erysipelatosis, gangraenosis, rheumatismo nervoso atque ex neurosibus in satyriasi, nymphomania, hysteria libidinosa, priapismo, manustupratione, ischuria spastica ejusdemque generis epilepsia et catalepsi, mania, paralysi, amaurosi, paralysi pulmonum, neuralgiis rheumaticis, hydrope rheumatico, helminthiasi, veneficiis ab opio, aut cantharidibus, atque usu externo, in gangraena a decubitu commendaverunt.

(*) CULLEN in opere suo de *Mat. Med.* camphoram sedante virtute excellere et narcoticis adnumerandam esse adfirmat ac plenissima dosi maniacis somnum conciliasse refert.

Mitscherlich salubritatem camphorae in typho, per sudorem ea excitatum, interpretatur eodemque modo vim illius refrigerantem, quam nonnulli ipsi tribuunt, conatur explanare: quam alii ex vi antiseptica, qua calor mordax febrium et erysipelatum gangraenescentium, putridarum temperatur, repetere malunt: de qua quidem virtute antiseptica pariter atque incitante camphorae dubitare videtur Mitscherlich, qui nisi fallor sceptici in practicis rebus dijudicandis personam tuetur. Equidem utrum per solam diaphoresin concitatam omnes camphorae vires ac dotes therapeuticas explicare licet, dubitaverim. Ab altera tamen parte confitendum est, recte cum in typho, tum in exanthematibus ab hoc auctore illius usum reprobari, ubicunque inflammationes internae sive intestinorum, sive aliarum partium sese jam explicuerint ac regularem morbi cursum turbaverint.

Itaque in febribus tum indicari camphoram existimaverim, ubi cum statu nervoso junctus fuerit status putridus: id est ubi cum nervorum aut erethismo, aut narcosi componitur vasorum atonia, collapsus, paralysis, aut ubi inflammationes impurae, erysipelaceae, gangraenescentes, sanguinis deficiens turgor et orgasmus stimulum potentem volatilem imperent, qui circulationem peripheriam capillarem instaurare valeat.

Nec minus dubito subscribere eorum practicorum experientiae, qui praestantem hujus singularis

medicinae usum in temperando erethismo genitalium inque compescenda mania et melancholia nervosa, in sopiendo cerebro, curando pervigilio ac restituendo vasorum nervorumque aequilibrio praedicarunt: potissimum si, quemadmodum a multis factum ostendimus, in neurosibus capitis maxime, camphorae virtus aceto mitigetur. Nam successus plurimum pendet ex prudenti administrandi ratione, sive dosin spectemus, sive adjuvantia, corrigentia adjuncta, seu denique aptam singulorum miscelam. Est ubi sola aura camphorae prodest. Est ubi plenior dosis exigitur. Jam acida addenda, aut vegetabilia, aut mineralia. Jam cortex copulandus est, aut serpentaria, aut valeriana, aut gummi ferulacea, aut castoreum aliave: quae generalibus praeceptis comprehendere vix licet. Neque qui vim camphorae experiri cupiat, desiderabit dotum a principibus medicis practicis traditarum testimonia tam generalium, quam specialium.

Doses remedii quod adtinet, in febribus nervosis non facile excedat granum dimidium, aut ad summum integrum et ubi renisus excitatus est, ne protrahatur remedii irritantis usus. Est autem cum sp. vini terendus et pulv. g. arab. triturandus et saccharo. Majori dosi praescribitur cum aceto et mucilag. g. arab. adversus maniam, aut melancholiam.

Doses, quas exhibuit Phoebus, universe nimias

censeo; praesertim mixturae camphoratae acidae N°. 187. p. 104. II. Sufficit dr. β—j. majorque requiritur aceti copia. Etiam enematis formula N°. 193. ibid. nimiam habere camphorae dosin mihi videtur. In asthmate utiliter cum camphora copulatur g. r. as. foetid. Compositionem cum nitro reprobat auctor et profecto, si magna dosis camphorae praescribitur, recte, sin parcissima, sexta, octava, duodecima pars grani, concedi utique posset. Recte autem monuit, doses illas maximas, quas nonnulli audaciores adhibuerunt, damnandas esse; siquidem non desunt casus, ubi scrupulus unus jam veneficii symptomata provocaverat.

Ad externum usum praecipue commendari merentur sp. vini camphoratus et bals. opodeldoch.

Notetis quaeso hoc loco adfinitatem laurinearum cum terebinthinaceis, quam indicavit Dierbach.

PHOSPHORUS.

Est vehementissimus stimulus, quo utebantur antea, quo tempore regnabat Brownii theoria et praxis, in typho paralytico et paralysi nervorum. Nec desunt exempla mortis per eum provocatae.

Solvendus est aethere simul et oleo aethereo, ne nimium aetheris requiratur, monente Phoebo, II. p. 406. Nunquam satura sit solutio, ne phosphorus secedat. Cave lucem et flammam. Formulas

vid. ibid. pag. 407. Ut causticum in substantia vix adhibendus, quia adcurate limitari, aut circumscribi nequit.

Mihi cautius videtur ab usu interno abstinere.

DE REMEDIIS NERVINIS UNIVERSE.

Animo perpendentes, quae nuper MITSCHERLICH de hoc remediorum genere disputavit, intelligimus, quam parum digna sit hactenus *scientiae* nomine haec disciplinae medicae pars. Nam quis medicus practicus, dummodo vir probus sit, auderet haec remedia aegrotantibus praescribere, dictante pharmaceutice physiologica. Quae cum ita sint, hactenus malumus traditiones practicas sequi et empiricen rationalem, ne *scientiam* exspectantes cunctando aegros deseruisse videamur, quos majores nostri, si viverent, *arte* sua servassent.

Itaque, experientia duce, alios aegros aliasque partes aliis nervinis juvare discimus et morbis quibusdam salutarem facere medicinam.

Sunt scilicet, qui nervis vitae animalis, sunt qui vitae organicae opitulantur: alia capiti, spinaeve medullae, alia pectori et vago, alia cuti, alia mucosis et abdomini, alia organis urinae et genitalibus.

Verum recenseamus singula deque singulis videamus breviter. Sunt autem de quibus hactenus

tractavimus: valeriana, artemisia, angelica, serpentaria, mentha, chamomilla, sambucus, cinnamomum, cubeba, tanacetum, santonicum, filix mas, sabina, guajacum, sassafras, mezereum, citrus aurantium, calamus aromaticus, cascarilla, helenium, phellandrium, vinum et aetheres et empyreumata, moschus, castoreum, ammonium, camphora, phosphorus.

Ex hisce, practicas si sequamur traditiones, chamomilla, mentha, calamus aromaticus in nervos vitae organicae, helenium in stomachi pariter et spirandi organorum nervos, pneumogastricum fortasse, angelica in eosdem, serpentaria, sambucus in nervos cutaneos: inque eosdem et cerebrum moschus; in nervos splanchnicos et uterinos castoreum; in sanguinem et per sanguinem in nervos cordis ammonium; in cerebrum et genitalia et vasa sanguinemque camphora, in medullam spinae citrus aurantium et cascarilla; in cerebrum denique et sensoria vinum et aetheres efficacitatem suam potissimum explicare videntur. Et singulos morbos morborumque formas quod spectat: in comata valeriana, moschus, in paralyses camphora, in neuralgias chamomilla, castoreum, in asphyxias ammonium, in adynamias vinum et aetheres, in medullae spinalis imbecillitates citrus aurantium, cascarilla prodesse videntur.

Sed ut habeatis generalem horum notitiam re-

mediorum, agite breviter hactenus exposita memoria repetamus.

Valeriana potissimum antiepilepticum et antihelminticum habetur estque praeterea aliis neurosibus nervorum cerebralium domandis idoneum remedium. Artemisia antiepilepticum virginum, puberum, quod simul cutis actionem incitat itaque, ubi catarrhalis quid subsit, aut rheumatici, fructuose administratur. Angelica, helenium, calamus aromaticus stomachica nervina sunt, quorum priora, ubi pulmonis officina aegrotat, morbo asthenico, sive atonico, in blennorrhoeis pulmonalibus et asthmate mucoso prodesse leguntur. Serpentariae usus praecipuus est in typho, febre lenta nervosa ac crebro cortici peruviano adjungitur et camphorae, cui adfinis, et acidis fossilibus, complicatione praesertim putrida.

Carminantibus adnumerantur mentha crispa et piperita, nec non chamomillae flores, proficui praesertim in enteralgia et febribus intermittentibus: quandoquidem cum oleo aethereo principium amarum habent; quare in neurosibus intestinorum curandis hujus medicinae salubritatem experti sunt medici. Chamomilla simul colicis menstrualibus a nervorum genere adfecto medetur; mentha vero neurosibus ex seminis jactura. Porro chamomilla quoque cutis muneri prospicit: idcirco neurosibus ex rheumatum genere oppugnandis apta deprehenditur.

Ex diaphoreticis vero nervinis princeps est sambucus, etiam pleurodynen catarrhalem sedans.

Cinnamomum nervinum est, adstringens, haemorrhagiis sistendis utile.

Cubeba, ut alia piperacea, stomachicum, irritans, in intermittentibus parum caute laudatur; nuper vero in blennorrhoea urethrali, magnam nacta est nominis celebritatem.

Tanacetum et santonicum nervina antihelmintica, ad vermes e corpore deturbandos jam pridem administrari solebant et ad hunc usque diem administrantur: ac suppar existimatur filicis maris hujusque extracti, seu olei aetherei virtus anthelmintica.

Sabina, uterinum, ecbolicum, ad uteri nervos irritandos adhibetur.

Sassafras diaphoreticum, aromaticum, addi solet decoctis lignorum, tamquam aroma, guajaco praesertim et mezereo.

Citrus aurantium, tamquam nervinum roborans, magni usus est in febribus intermittentibus, stomachi et intestinorum infirmo tono. Etiam valerianae subjuncta epilepsiae remedium existimantur praesertim folia: flores vero gratum aroma, analepticum praebent, in aqua flor. naphae.

Calamus aromaticus nervinum, stomachicum, febrifugum, antiscorbuticum, carminans, aetheribus, acidis, cort. peruviano addendum.

Cascarilla in alvi profluviis, jactura seminis, ad

roborandum systema spinale, in curatione phthiseos nervosae percelebre remedium est.

Aetheres analeptica nervorum animalium; empyreumata nervis splanchnicis magis amica.

Moschus analepticum nervorum sensus, cum aliorum, tum cutaneorum, etiam vagi videtur, saltem neurosibus spirandi utiliter opponitur iisque universe nervorum aegritudinibus, quarum fons et origo est in munere cutis laeso.

Castoreum, carminans, antihystericum, colicae flatulentae hypochondriacorum et hystericarum adversum.

Ammonium volatile resolvens jure et dicitur et habetur, simul antirheumaticum, praesertim vero cordis syncopen curans, hinc cardiacum volatile, quod stimulo, in sanguinem suscepto summeque volatili, perficere videtur.

Camphora nervinum volatile, antisepticum, ab una parte neurosibus cerebri adcommodatum, ab altera collapsui vasorum; dum simul per pulmonis cutisque vias exhalari nimiumque genitalium sensum aut temperare, aut extinguere perhibetur: tandem etiam ardores ab erysipelate sanguineque impuro ipsasque neurophlogoses compescere ac refraenare potenter reperitur.

Phosphorus denique tam dubium est et anceps remedium, ut vix quemquam invenias medicum practicum cautum prudentemque, qui periclitando experiri vim remedii, si quod aliud, summopere

heroici, audeat. Ac vel majorum cum eo capta experimenta adeo et numero pauca sunt et describendi ratione imperfecta, ut an umquam vere profuerit, jure merito quaeri posset. Minus anceps habetur in acido phosphorico remedium, quod tamen, quoniam minus recte ad nervina revocari potest, de hoc acido hoc loco monere, supervacaneum existimo.

Quodsi nervina inter se conferamus, alia stomachica, alia intestinalia, alia pectoralia, alia uterina, alia cerebralia, alia spinalia, cutanea alia esse, reperiemus: ita tamen, ut vulgo eadem pluribus simul partibus, aut partium systematibus prospiciant dotesque habeant viresque therapeuticas varie compositas.

Ex stomachicis sunt: calamus, helenium, angelica, cubeba, quorum calamus et ventriculo et intestinis et vasis cordique medetur; helenium et ventriculo et pectori et cuti; angelica et ventriculo et pectori; mentha et stomacho et intestinis; hisce tanacetum, santonicum, filix mas; sambucus cuti et pectori; serpentaria cuti et vasis; sassafras cuti; chamomilla intestinis, cuti, utero; sabina utero; castoreum intestinis et utero; empyreumata intestinis et cuti; cubeba ventriculo et genitalibus virilibus; ammonium cordi et sympathico; valeriana cerebro, nervis sensoriis, cuti; moschus cerebro spinaeque medullae et cuti; citrus aurantium cerebro spinaeque medullae et ventri-

culo; vinum, aetheres cerebro cordisque nervis; camphora cerebro, genitalibus, cuti; phosphorus cerebro. Quarum virtutum singulae ita componi miscerique debent, ut consilio suo potiatur medicus artifex. Nam si ventriculi virtus roboranda est, calamus aromaticus adhibendus praesertim, aut citrus aurantium: ille ubi et sanguis debilis est, aut scorbutica dyscrasia adfectus, additis acidis fossilibus, aromaticis. Ubi et ventriculus et pulmo blennorrhoea adfecti, helenium, angelica; ubi cutis et pectus ex catarrho aegrotent, sambucus, ubi cutis, sassafras; ubi intestina, tanacetum, santonicum; ubi uterus et intestina et cutis, chamomilla; ubi uterus et intestina, castoreum; ubi uterus, sabina; ubi intestina et cutis, empyreumata; ubi cor et sympathicus, ammonium; ubi cutis et cerebrum, moschus; ubi cerebrum et genitalia, camphora. Neque tamen hisce generalioribus comprehenditur singulorum in singulis casibus utendi modus. Igitur de his breviter adhuc praecipiendum est.

Est pectoris et ventriculi catarrhus chronicus, in quo celebranda est helenii officinalis virtus, asthmaticis quoque proficua.

Est colica flatulenta, spasmodica mulierum, cui medetur optime chamomilla: quae si hystericas, aut hypochondriacos torqueat, castoreum seligendum est.

Digestioni simul et chylopoiesi et haematosi vi-

liatis opem fert calamus aromaticus.

Laesa cutis functione et suscitatis inde spasmis sive pectoris, seu artuum, praestabit moschus.

Languente cordis vasorumque actione, ammonium, camphora, serpentaria proderunt cumque langueat energeia spinae et artuum, a cascarilla auxilium petendum est, aut citro aurantio.

Verum, ut composita solet esse morborum indoles, de his quoque compositionibus videamus.

Atque febres quod adtinet, ex nervosis sunt typhus et intermittens, in quibus utrisque nervina subinde juvabunt. In typho cerebrali valeriana, spinali moschus et ammonium, abdominali calamus subinde proderunt: quando nimirum horum stimulo viribus languentibus opus sit. In neurosi intermittente, aut febre quae dicitur, ejus generis, chamomilla romana, citrus aurantium, calamus aromaticus a medicis practicis laudati sunt. In febribus nervosis et putridis serpentaria, camphora. Camphora quoque in neurophlogosibus inflammationibusque inpuris, gangraenosis magni usus est.

Est catarrhus et rheumatismus nervosus, sive cum statu nervoso conjunctus, qui si capitis nervos prehendant, valeriana, aetheres, si spinae medullam nervosque artuum et cutis, moschus, si plexum cardiacum, ammonium, si pulmonum mucosam, helenium, sambucus, angelica, si intestina, chamomilla, si uretharam, cubeba reliquis anteponuntur.

Sunt neuroses pectoris: asthmata, tusses spasticae, dysphagiae, quibus medetur moschus et liq. c. c. succinatus.

Sunt neuroses capitis, quas juvat valeriana, camphora, acetum. Et sicubi epilepsia curanda sit per nervina ejusmodi, alia erit in viris, alia in feminis curatio. In his quidem ab artemisia opem petere saepenumero oportebit. In viris a camphora, valerianae addita.

Neuroses genitalium, si cum neurosibus intestinorum copulentur, in feminis, praeter chamomillam, castoreum crebro indicabitur, si cum neurosibus cerebri, in viris et camphora utendum erit.

Saepe cum nervis vasa aegra sunt, sive torpentia, ubi camphora opem feret, sive sanguinem plorantia, ubi cinnamomum, calamus, sive deficiente corde, ubi ammonium anteponi debet.

Crebro pariter varia horum copulanda: chamomilla cum castoreo, moschus cum camphora, camphora cum valeriana, valeriana cum aethere, aether cum chamomilla, aut sambuco, aut helenio, aut calamo, sabina cum chamomilla, castoreo, artemisia, mentha cum calamo, chamomilla, valeriana; citrus aurantium cum valeriana, angelica; santonicum, tanacetum cum valeriana; serpentaria cum camphora; camphora cum calamo: prouti scopus est, in plura organa dirigere remediorum nervinorum vim, aut detrahere vim nervini remedii vitae animalis ad vitam plasticam; aut contra vim

remedii nervini vitae organicae ad vitae animalis sedem extollere et elevare, aut consensus beneficio alteram partem alterius ope incitare, sedare, moderari.

Exemplum hujus methodi obfert compositio valerianae cum tanaceto, aut santonico, calami cum aetheribus, aut menthae cum iisdem, aut ammonii cum helenio, aut camphorae cum serpentaria, aut moschi cum castoreo: quibus compositionibus, qui in rem suam uti norunt medici, ea subinde perficient, quae harum compositionum ignari perficere non poterunt iisdemque medicinis in oppositos fines uti scient, alia sub forma adhibitis, vel alio sub connubio, sive juvantium, sive corrigentium. Ponamus opus esse v. c. cephalico nervino cum uterino, valeriana cum chamomilla, cum castoreo utiliter copulabitur: ponamus cum nervino spinali et nervino uterino opus esse, cum moscho castoreum jungendum; cogitemus, requiri diaphoreticum nervinum et nervinum pectorale. helenium cum sambuco, aut sassafras componendum erit.

Largior quidem, in hisce multa desiderari, nec deësse conjecturas, perfectiori inductione sive firmandas, sive infirmandas, aut corrigendas. Abundant tamen rerum testimonia felicium sanationum docta arte a perito medico peractarum.

MEDICAMENTA E REGNO MINERALI

SULPHUR.

Sulphur promovere, interno usu, transpirationem insensibilem, prodesse igitur in rheumatismis ipsaque arthritide vaga, ipsam podagram praecavere, neque minorem ejus esse efficaciam in morbis cutaneis eandemque virtutem pectori amicum reddere sulphur; denique haemorrhoidum coecarum dolores alvumque duram, eas crebro comitantem, lenire, ex traditione medica, notavit GMELIN *App. Med.* (*regn. min.*) I. pag. 160 sqq.

Jamjam a multis retro seculis adversus scabiem adhiberi, docet VOIGTEL IV. pag. 58: deinde ad morbos a scabie retropressa aliasque impetigines: herpetem, tineam, crustam lacteam puerperarum, maculas syphiliticas ac postquam vim prophylacticam adversus podagram HUFELANDI testimonio firmaverat, in stasi haemorrhoidali indeque orta colica et hypochondriasi, plethoricis tamen minus conveniens, laudat: in raucedine praeterea, tussi,

catarrho chronico, asthmate humido, in veneficiis mercurialibus, saturninis, morboque verminoso.

Richterus in morbis pectoris sulphur aliquid boni promittere, per dotem promovendi perspirationem pulmonalem, a veteribus balsamum pulmonum dictum, in raucedine chronica, chronico catarrho, tussi, asthmate humido utiliter adhibitum, etiam in haemoptysi haemorrhoidali et in morbis secundariis a morbillis: saepe quoque in praxi infantum, in tussi quinta prodesse refert; aut ubi ab impetigine, haemorrhoidibus, pectoris aegritudo. In haemorrhoidibus ad alvum promovendam et circulationem venosam moderandam; cavendum, ubi phlogosis, aut profluvium haemorrhoidale. Suppressis menstruis, ex congestione venosa morbisque cutaneis: scabie, herpete, crusta lactea, serpiginosa. Nuper etiam in febribus catarrhalibus, cum aliis, tum infantum: etiam usu prophylactico adversus morbillos. Vogtius perhibet, sulphure mutari processum plasticum cutis similiterque adfici mucosam pulmonum, sensim augendo perspirationem: minus vero antiplasticum esse ac stibium, aut mercurius; sed propriam facere in corpore dyscrasiam ac praecipue venas abdominales intest. recti et pelvis ad promptiorem contractionem ciere motumque humorum per easdem praecipitare.

Mitscherlich neque in blennorrhoea pulmonum, neque in rheumatismo chronico, neque in impetiginibus ab usu interno sulphuris multum bonae

frugis exspectat: a majori dosi, scopo purgandi, majorem exspectat efficaciam et a leni catharsi repetit illius salubritatem in haemorrhoidibus, infarctibus in systemate venae portarum et in menostasia, in arthritide, scrofulosi, phthisi caet.

Praecipuus ac primarius usus sulphuris est in scabie: cui morbo cutaneo, qua ratione medeatur, nondum satis explanatum est. Alii cutis metamorphosin moderando, alii acarum scabiei necando, vi peculiari, huic animalculo venenata, contendunt.

Secundus usus est catharticus: de quo pariter dubitare vetant experientiae quotidianae testimonia.

Tertius usus est diapnoicus, quem plures negant: quamquam negari nequit, omne corpus permeare, si effectus reputantur in transpirationis odorem inque metalla, quae gestiunt aegrotantes. Neque catharticum esse vulgare, sed peculiare, exinde recte concluditur, quod alvum non moveat liquidam, sed faeculentam, nec sistat cutis actionem. Quae cum ita sint, non video, cur remedio potestatem in cutis actionem moderandam ipsamque illius vitam plasticam, seu nutritionem, negaremus, tantam quidem, ut deleat morbum cutis parasiticum: neque, cur negaremus potestatem in venas ipsumque systema capillare: cum sudoris et transpirationis odorem mutet.

Quod tandem spectat illam Vogtii conjecturam

qua statuit, propriam ipso creari dyscrasiam, neque de hac dubito, si cogito, quales effectus protracti ejus usus sint et quanta ejus sit potestas in corrigenda dyscrasia mercuriali. Neque immerito hac potestate stibio et mercurio aequiparatur, quae similiter vitam omnem plasticam mutant, sed aliter magisque potenter: ut sulphuris actio metallorum istorum actione mitior habeatur minusque nutritioni infesta. Monendum tamen, magnopere vim remedii pendere ex ratione, qua propinatur. Nam paullo aliter agit sulphur depuratum, paullo aliter sulphur praecipitatum: illud flores sulphuris lotos, hoc lac sulphuris adpellaverunt.

Si actionem in cutim cogites, optime in pulvere datur cum magnesia et quidem praecipue sulphur depuratum: si actionem in rectum velis, lac sulphuris praeponunt: quamvis etiam flores sulphuris hoc consilio praescribant, cum cremore tartari et saccharo lactis, aut in electariis, cum pulpa cassiae, pulpa tamarindorum similibusque.

Dosin ejus esse gr. 5—10: si actio in canalem intestinorum requiras, ʒβ—3β. 4dd.: saepe gas hydrogenium sulphuratum exhalari, si tartarus depuratus, aut ferrum pulver. addatur eoque in casu magnesiam addendam esse, animadvertit Phoebus. Haemorrhoidariis praescribit sulphur depurat. cum tarturo depurat. et elaeosacch. citri: quodsi actio in pulmones postuletur, praestat formula Richteri

sub num. 1018, ex sulph. depur. cum sem. foenic. et rad. glycyrrh., aut sequens WEDELII: ex acid. benzoic., sulph., rad. glycyrrh., rad. irid. florent., sacch. alb. et ol. foenic., aut ea, quae sub num. 1020, KOPPII nomine, traditur: ex sulph., rad. irid. florent. et sacch. lactis, aut medici percelebris HIMLY: ex sulph. depur., g. arab. et elaeosacch. foenic.

Adversus cachexiam mercurialem cum camphora praescribitur ab HILDENBRANDTIO, sub num. 1017. et cum eadem adversus psorophthalmiam, sub num. 1025, secundum form. doct. ALLEN. Hepar sulph. similiaque, quae ingrato odore et sapore offendunt, ex tempore habentur, addendo sulphuri magnesiae pulverem, vel pulverem terrestrem, vel denique pulv. lapid. cancri.

In morbis cutaneis pertinacioribus, praesertim scrofulosorum, vel ubi cum scabie diathesis scrofulosa oppugnanda est, interdum utiliter cum mercurio dulci, sulph. aurat. antim., aut kerm. minerali sulphur praescripsi, in pulvere, superbibendo theam ex stipit. solan. dulcam. et herb. jaceae, adjunctis interdum rad. bard. et rad. glycyrrh., quam medicaminis formulam sub hac rerum conditione expertus sum saluberrimam.

Est ubi propter alvum mobiliorem pulvis ejusmodi componi debet cum pulv. catechu, pulv. lapid. cancr. et pulv. gummoso: est ubi ex lacte sumendum sulphur praescribitur: est idque in rheumatismo chronico, ubi reliquis recte anteponitur

bals. sulph. terebinthin. Qualem esse olei Harlemensis formulam, opinantur.

Contra-indicatur habitu plèthorico, phlogistico verisque purisque phlegmasiis ac ventriculi intestinorumque debilitate et statu gastrico, periodo menstruationis, dolore denique haemorrhoidum inflammatorio. De usu sulphuris in scabie cf. *de Art. Med.* L. I. P. I. pag. 346 sqq. et in haemorrhoidibus, ibid. pag. 558. An thermae sulphureae latentem in corpore evocant dyscrasiam syphiliticam?

CARBO VEGETABILIS, ANIMALIS, MINERALIS.

Hodie fere absoleta Prior ad foetorem corrigendum, alter ad tumores glandularum, tertius (graphites) ad impetigines praecipue commendatus est: cf. RICHTER l. l. III. pag. 472 sqq. Is carbonis vegetabilis usum in febribus putridis, intermittentibus, phthisi pulmonali, gangraena, ulceribus, scorbuto oris, in pulv. dentifr., carbonis animalis in duris glandularum tumoribus, praecipue scrofulosis, carbonis mineralis in herpete meminit: quo ultimo remedio solo herpetem furfuraceum, formula electarii cum melle praescripta, sese prorsus sanasse, testatur: etsi morbus quadriennium substiterat. Cf. RICHTER, ibid. pag. 489.

ALCALIA FIXA.

Gmelin, in *App. Medicam.* P. II., quo complevit opus eruditum viri cl. Murray, circa alcalium usum therapeuticum monet, stimulare ea fibram contractilem et nerveam, adtenuare humores: hinc scrofulosis; urinam movere: hinc hydropicis conferre; acidum domare: hinc venenorum acidorum et acoris ventriculi remedium esse: praesertim vero sodam et virtute et sapore reliquis antecellere, cum in debellandis acido primarum viarum morboque scrofuloso, tum in solvendis tumoribus ipsoque urinae calculo, aut saltem sabulum et calculum mirifice pellere. I. pag. 60 sq. l. l.

De hoc alcalium usu lithontriptico complura citat Voigtel, IV. pag. 214. virorum doctorum testimonia. Etiam methodum Stutzianam aliorumque in spasmis: tetano, trismo, eclampsia gravidarum, breviterque commemorat *ibid.* balneorum alcalinorum vires adversus arthritidem et rheumatismum chronicum.

Alcali causticum probatum in lithiasi, in arcano Chittickiano, etiam ab aliis medicis; cui praestat tamen kali carbonicum, sive carb. potassae, quod in scrofulis, praecipue in scrofula propria sive florida commendatum est: ubi vero tonica in morbo scrofuloso indicantur, scitote, non indicari

alcalia. Similiter in gutta rosacea, in diathesi arthritica aut calculosa laudatur: in his tamen quoque ei praestat carb. potassae. Ejusdem generis est tinctura antimonii tartarisata, quam in hydrope cum liq. c. c. succin., in ictero, hypochondriasi, scirrho adhibuerunt: qualis compositio medicata efficit tincturam nervinam Stahlii.

Externo usu, pro caustico, adhibetur: aqua dilutum in tetano, trismo secundum Stutzii methodum, alternatim cum opio. In lotionibus, balneis unc. $\frac{1}{2}$ — 1 aut, casu urgente, unc. $1\frac{1}{2}$ — 2. ad balneum: in lotionibus dr. $\frac{1}{2}$ — 2. ad cong. aquae.

Carbonas potassae memoratur apud Richter, III. pag. 519. Princeps hujus remedii usus est in lithiasi et quidem praesertim in diathesi urica: sequitur usus in rheumatismo chronico et arthritide, morbo calculoso adfinibus: tum in acore primarum viarum ex eoque nascente scrofulosi et rhachitide: porro tamquam diureticum celebratur in hydrope: tandem in phlegmasiis exsudativis: febre puerperarum, angina membranacea, quo nomine, propter virtutem antiplasticam, mercurio comparatur; quod si cogitemus dyscrasiam alcalinam, quae scorbuticae suppar et suppar mercuriali, mirum videri nequit. Similiter in phthisi calculosa, cum spe successus, praescribi posset: quo titulo forsitan mitior medicina est ex soda, aut carbonate sodae, quod huic praecellit. Caeterum sive prior, seu posterior aqua Fachingensi, aut Selterana solvi uti-

liter solet. In morbo calculoso ejusmodi solutione uti soleo, idque saepenumero eventu plurimum fortunato.

Dosis carb. potass. est gr. ij — x — 2 — 4 dd. eademque carb. sodae. Vulgo solvitur dr. j carb. potass. in unc. vj aq. depurat. o. bih. ā trih. c. Addi uti corrigens potest syr. c. aur. aut syr. zingib.: subinde extr. am.: extr. card. ben., cent. min., absynth., secundum variam aegri conditionem.

BORAX.

Antiquior boracis usus his verbis describitur a v. clar. GMELIN, I. pag. 104. l. l. »Olim emmenagogi titulo celebris et teste cl. STARCKE, qui magnesiae albae et nitri aequali portione temperato et lochia et fluxum menstruum pelli et partus dolores mirifice sublevari asseverat: efficax sal hodie rarius adhibetur. Sunt tamen inter recentiores nonnulli, qui, praeeunte BISSOTO, magnam ejus in aphthis, praesertim infantum sanandis, vim experti sunt."

Recentiorem experientiam tradidit RICHTER, primo usum in aphthis infantum commemorans, deinceps usum emmenagogum: hunc novis testimoniis confirmans, quibus addere oportet testimonium WIGANDI, obiter tantummodo citatum. Hoc consilio addunt boraci crocum et cinnamomi sive pul-

verem, sive oleum. Ad ea pertinet emmenagoga et pellentia remedia, quae vasorum renisum non excitant; quodsi hoc fine praescribitur, crocum et cinnamomum ei adjungere, minus ex re erit. Caeterum notandum, a me haud semel incassum datum esse atque subinde efficaciorem expertum me esse usum tartari boraxati. Praecipue adhiberi, cum phlogistica subest conditio magnaque irritabilitas, monet VOGTIUS, II. pag. 607.

Hisce positis principiis, an recte secale cornutum, aut vel majori jure, an recte sabina cum borace copuletur, dubitari utique posset.

Dosin esse gr. 15 — 30. 2, 4 dd., aut gr. x—xx o. bih. docet PHOEBUS.

Ex opinione VOGTII in borace superesset vis sedans acidi boracici, sive salis sedativi Hombergii: de qua tamen vi sedante nequaquam convenit inter medicos, ut alii sal narcoticum dicant, alii iners prorsus habeant.

SAPO.

Vim saponis potissimum esse ab alcali, utque alcalia, urinam movere et domare acorem, laudari in obstructionibus viscerum et glandularum, vim resolventem a priscis medicis magno pretio haberi, BOERHAAVIUM commendasse infantibus acore primarum viarum laborantibus, ex aqua aromatica, ad-

versus rhachitidem, cum felle tauri, adversus tussim quintam, cum g. ammoniaco, aut squilla, adversus icterum calculosum, arthritidem, podagram, calculum: et adversus venena metallica adhiberi, monet ARNEMANN l. l.

RICHTERUS primo morbis chronicis abdominalibus: ictero, scrofulosi, scirrho sanandis, saponem adhibitum animadvertens, testatur, se ipso utiliter usum esse in dysenteria habituali, ex infarctu in systemate venae portarum, cum g. as. foetid. et felle bovillo; tum in lithiasi administrari atque arcani Johannae Stephani partem efficere, et ab THILENIO fuisse laudatum. Denique in acore primarum viarum, cum aqua foeniculi praescribi, aut pulti admisceri: quemadmodum suaserat CAMPERUS, ac saepius utiliter fecerat ipse. Etiam veneficiis cum ab acidis, tum a metallis ut antidotum mederi. Tandem externum usum habere in balneis, lotionibus, clysteribus, emplastris.

Indicari saponem docet VOGT, praesertim ubi ob irritationem phlogisticam intestinalem alcalia non feruntur; etiam in stranguria calculosa (adversus veneficia aquam saccharatam saponi longe anteponendam esse, docuit ORFILA) additque minus recte, ut constituens, in pilulis adhiberi, ac si esset prorsus iners. Facile laedere digestionem et propter vim antiplasticam ad polysarciam tollendam laudari.

Juremerito praecepit DIERBACH, saponem alcalibus adfinem, tamen ab iis distare ob additum

oleum: hinc ut sal esse spectandum. Scilicet conjunctas habere dotes alcalinas et oleosas; triplici autem nomine praescribi: ut lithontripticum, antacidum et resolvens.

Phoebus animadvertit, dosin sapon. domest. in enem. esse dr. ij, cum oleo lini, inf. cham. (posset etiam decoct. furfurum praescribi) in balneis libr. ij. Nuper ad curandam scabiem adhibitum esse. Dosin sapon. medic. esse gr. 5—10 pro usu int. Formula sub num. 970. pro infantibus nimiam dosin saponis habet. Habentur pilul. ex sap. med. et sulph. praecip. — Lotiones ad tineam saepe utiles expertus sum. — Ab exp. Biett laudatur ung. ad eandem: cf. form. 1026. II. pag. 513. Emplastrum saponatum in neuralgia dorsali laudatur a Richtero, *Supplem. B.* pag. 482.

TERREA.

CALX.

Aqua calcis, monente Gmelin, in acido primas vias obsidente variisque ex eo fonte promanantibus malis prodest. Poterat tamen in alvi fluxu, vi sua exsiccante, sive humorem sugente, perinde prodesse haec aqua, eo titulo praedicata in ulceribus: tam ossium, quam partium molliorum, sarsaparillae decocto juncta et pota cum lacte, aut cort.

peruv. decocto. Ad hanc vim exsiccantem porro referre licet virtutem aquae calcis roborantem, quam in vitiis primarum viarum, a sola laxitate oriundis, praesertim, si cum amaris remediis conjungitur, praeter alios utilem deprehendit MONRO.

Arthritidis paroxysmos mitigasse aliquatenus, sed non sustulisse potiusque profuisse firmando viscera, scribit ROB. WHYTT, pag. 385 sq.

De vi lithontriptica plures, (sic pergit, quem hoc loco sequar, GMELINUS) iique illustres medici VAN SWIETEN, DE HAEN et alii quamvis fateantur, egregium spasmorum ac dolorum, his aegrotis tantopere infestorum, lenimentum subministrare, calculum tamen comminui, aut semper excerni negant, sive meracam biberent, sive lacte dulcique lactis sero temperatam, sive sapone praegnantem per menses aquam calcis vivae. Addit, caute mercandum esse cum hac aqua, si motibus febrilibus agitetur aeger, in climatibus calidioribus et hominibus temperieï siccioris et calidioris; praetermittendum ejus usum in emaciatis, febre hectica, congestione sanguinis renes versus caputve directa, infarctu quasi lapideo spasmisve laborantibus, vitandum in principio dysenteriae, orgasmo, haemorrhagiis, sanguine inflammatorio, aegro plethorico, alvo obstructa.

Minus magnifice de aqua calcis sentit VOIGTEL contenditque, nihil ab ea praestari, quod tenuis solutio alcalina praestare non potest, diuque ad-

hibitam, digestionem laedere et vim musculorum, IV. pag. 227. Potissimum laudari animadvertit in alvi profluviis diuturnis, morbisque cutaneis, tum in ulceribus, glandulis induratis, tuberculis, nascente phthisi scrofulosa, phthisi calculosa, calculo ab acido urico, diabete, arthritide, osteomalacia. Dosis sit unc. i—iij 3, 4 dd. Si sitim faciat et aestum, sp. nitr. praebebat WHYTT, si alvum stringat, saponem et rheum in pilul. dare oportet. De usu externo vid. ibid. pag. 232 sqq.

RICHTER, III. pag. 580 sqq. scribit, praesertim tum indicari, ubi jam decompositio fieri incipit inque morbis systematis uropoietici, canalis cibarii cum proclivitate in diarrhoeam. Usus in lithiasi, arthritide, rheumatismo, rheumatalgia, diabete, dyspepsia cum acore indeque natis spasmis, in phthisi calculosa, ulcerosa, ulceribus renum, vesicae, intestinorum, diarrhoea chronica, lienteria, herpete, ad unc. ij—iv. 3, 4 dd.; tum externus multiplex, in morbis cutaneis, secretionibus morbosis, ab eo commemoratur.

SOBERNHEIM monet, aq. calc. ex inf. l. quass. adhiberi in acore primarum viarum: in ulceribus intestinalibus, phthisi intestinali, ab ABERCROMBIE, LESSER, HAINE nuper laudatam esse (pag. 369. II.) ab unc. ij — libr. j. d. d. c. lacte.

Ex optimis remediis existimat PEREIRA, cum lactis aequali portione, adversus nauseam et vomitum ab irritabilitate ventriculi et diaetam ex ca-

dem et lacte in dyspepsia cum vomitu ingestorum; etiam in dyspepsia arthritica, cum diathesi urica renali, salubrem expertus est et in ulceribus et diarrhoea et blennorrhoeis mucosis, post sedata symptomata inflammationis (*).

Phoebus in principio dosin esse unc. ij — i v pluries de die, usque ad libram unam aut libram unam et semis, cum lacte, lactis sero, carnis jusculo, aut, ubi magna sensilitas, cum oleosis, mucilagineis, tinctura opii simplici: usuque externo in collutoriis, cum lacte, ad aphthas infantum cum syrupo simpl., in clysmat. cum decocto avenae caet.

CRETA.

Hanc magis ventriculum gravare scribit Richterus, quam lapides cancrorum, quibus virtutem adscribit diaphoreticam, qua quibusdam urticariam excitant. Caeterum in similibus morbis atque aqua calcis convenire, praecipue in diarrhoea infantum: etiam sensum obtundere et spasmos sedare ab acido, a dosi gr. v — x cum elaeosaccharis.

Equidem pulvere lapid. cancr. aut pulvere terrestri, ex hoc et magnesia carbonica, vulgo cum

(*) Nuper in diarrhoea chronica habituali expertus sum hanc aquam valentissimam.

pulvere gummoso ad compescendam diarrhoeam infantum feliciter uti soleo: addito subinde pulv. rad. ipecacuanhae.

MAGNESIA.

Ab aliis absorbentibus eo nomine differt, quod cum acido intestinali salia format, leniter purgantia. Carbonicae puram nonnulli praeferunt, quod ab hac gas non evolvitur: plerique tamen aërata utuntur, quae mitior habetur. Praecipuus illius usus est in acore primarum viarum, si cum alvo stricta fuerit, quae si ducenda, rheum additur, interdum lac sulphuris; si cum ventriculi spasmo, foeniculum. Caeterum in spasmis similiter stimulum obtundit: quam vim antispasmodicam ab acido carbonico repetit Richterus eaque propter aëratam purae anteponit: simul observat, augeri per eam etiam aliorum antispasmodicorum vim.

In veneficiis ab acido nitrico aut sulphurico optimum antidotum esse, existimat peritus harum rerum judex Orfila.

Ex compluribus formulis, quas habet Phoebus, aliae nimis compositae, aliae nimis irritantes videntur. Praestat universe, magnesiam cum elaeo sacch. foeniculi praescribere, aut ex aqua ejusdem, tamquam vehiculo, propinare sique scopus sit purgare, pulveris rad. rhei tantillum adjicere. Magnesiae

ustae dosis minor sit oportet. Notandum quoque, magnesiam aëratam pondere levissimam esse.

ALUMEN.

Alumen relaxatis partibus mederi in uteri vaginaeve aut ani prolapsu, fluore albo, in uvulae relaxatione, gingivarum laxitate, ulceribus atonicis, angina catarrhali et aphthis, animadvertit GMELIN, I. pag. 121 sq.

RICHTER adnotavit ejus usum in dyspepsia cum acore ventriculi, laudante PERCIVAL, in diarrhoeis infantum, diarrhoea cruenta adultorum, cum acido in primis viis, obtundendo sensum (et adstringendo) cum g. arab. et saccharo, a gr. 5—10. Ejusdem usus sunt bolus armenia et terra lemnia, III. pag. 605. usuque externo in tumore albo, hydrarthro, haemorrhagiis scorbuticis, chronicis inflammationibus oculi, blennorrhoeis caet. et ad pulv. dentifr. *Supp. B.* pag. 486. c. myrrh. et l. sant. rubr.

VOGT eorum refutat sententiam, alumen vim suam ab acido sulphurico mutuare, docens magis convenire cum vitr. mart. et plumbo, esse adstringens purum, quod mucosam contrahit, corrugat: indicari autem in typho abdom., blennorrhoeis, secretionibus, haemorrhagiis atonicis, atonia et laxitate partium, angina tonsillari: dosin esse gr.

3—6 et ex praeparatis memorat serum lactis aluminosum.

Sobernheim alias dotes ab acido sulphurico, alias ab alumina repetit sicque explicat, cur parca dosi stringat alvum per aluminam, magna contra laxet per acidum sulphuricum, II. pag. 239.

Pereira ut repellens adhibitum fuisse in inflammationibus monet inque colica saturnina, praeeunte Grashuys, eique opium additum aut secundum alios camphoram: ab adstringentibus vegetabilibus decomponi.

Ex formulis, quas profert Phoebus, simplicitatis caussa maxime commendanda videtur sub N°. 58. II. pag. 36. ex opio, alumine et pulv. gumm. Videtur tamen dosis aluminis gr. x. sat magna esse et fortasse cautius ac prudentius inciperetur a gr. v. In colica saturnina interdum cum sulph. depur. componitur, interdum cum rheo, aut cum utrisque, opio insuper addito.

ACIDA.

ACIDUM SULPHURICUM.

A multis retro annis princeps acidi sulphurici virtus dicebatur, ut putredinem arceat: hinc in ulceribus scorbuticis prodesse et angina gangraenosa et ulcere noma et ad augendas corticis peru-

viani vires antisepticas et intus adsumtum in febribus potissimum putridis ac malignis, epidemicis, contagiosis, comate, alvi fluxu, petechiis stipatis, in scarlatina morbillisque malignis inque variolis confluentibus, nigris, malignis aliisque, herpeticis pertinacioribus cutis morbis.

Tum ob constringendi partes molles potentiam in haemoptysi a resoluto sanguine, aut vasorum osculis relaxatis, nisi haemorrhoidum, aut menstruorum vices suppleat, interdum laudani liquidi Syd. parti dimidiae junctum: in haemorrhagia uteri, in vomitu mictuque cruento.

Ob refrigerandi vim in febribus inflammatoriis, ardentibus, variolis benignis, peripneumonia (Tissot) singultu (Duncan) laudatum. In morbis spasmodicis, calculo, asthmate, hydrope, arthritide, referente Gmelin, quem secutus sum hactenus. (pag. 39.) Cum vini spiritu in elixirio Halleri, in morbis nervosis, aut ventriculo debili, cum aromatibus in elix. vitr. Myns., cujus quoque generis est aq. Rabelii, ex ol. vitr. et tripl. port. sp. vini. Denique memoratur ibidem saponis species ex vitrioli acido et oleo olivarum.

Voigtel, IV. pag. 84 sqq. elixir. acid. Halleri ad aetheres accedere scribit inque debilitate musculorum et vasorum utiliter adhiberi, in febre vasculosa cum colliquatione, auctore Reilio, in haemorrhagiis asthenicis, in variolis malignis, stadio suppurationis, sudoribus colliquativis, chlorosi mus-

culosa. Ipse salubritatem hujus remedii expertus est in scarlatina putrida et in leucorrhoea. In phthisi ulcerosa, ad colliquationem cohibendam et temperandum orgasmum juvare, existimat. Etiam in astheniis nervorum laudatur. Elix. vitr. Myns. male stomachicum haberi, censet, magis contra esse comparandum elixirio Halleri. Sp. vitrioli potissimum in febribus asthenicis conferre: etiam hoc nomine a recentioribus medicis in typho gastrico putrido cum cephalalgia, irritabilitate vasorum, pulsu praecipiti, parvo, debili, aestu, siti, lingua nigra, halitu oris foetido, excrementis putridis, princeps haberi remedium. Numquam vero in febribus nervosis puris esse adhibendum. Quoad usum in haemorrhagiis, exemplum notat epistaxeos in variolis malignis, quam, aliis incassum usurpatis, unica dosis elix. Hall. repressit, monetque in morbo maculoso haemorrhagico Werlhofii palmarium esse usumque in ulcere noma rerum testimoniis confirmat ibid. pag. 93. Ex remediis externis citantur tinct. rosar. acid. et aqua vulnerar. Thedenii.

Richter animadvertit, usum acid. sulph. matrum lactantium infantibus nocere, IV. pag. 23. In haemoptysi, tussi haemoptoica, propter suppressam anacatharsin, in haematemesi propter intestinorum spasmum nocere saepius. In orgasmo, congestionibus perquam utile habet, secus in haemorrhoidibus activis. Neque minus utile probari in morbis a constitutione venosa: ictero, hydrope caet. Prae-

terea in neurosibus: epilepsia, hypochondriasi, hysteria, cum larga menstruatione: in singultu et vomitu spasticis; nimirum videtur nimium sensum intestinorum obtundere simulque ebrietatis remedium esse. In sudoribus quoque colliquativis phthisicorum, aut post intermittentes, aut etiam arthriticorum. Saponem acidum Achardi, ab Italis, in ictero, hydrope, podagra, calculo laudari. Usum acidi in syphilide, ad hujus cum scorbuto compositionem, in scabie vero aliisque impetiginibus ad dyscrasiam biliosam refert. Antidota esse alcalia dicuntur. Caeterum de usu externo, cf. id. l. l. pag. 32 sqq.

Elix. Halleri acid., etsi ad aetheres accedat, tamen esse naturae acidae notat; inque erethismo nervorum cum vasorum orgasmo convenire: in nimia menstruatione, diabete mellito, chlorosi cum nimiis catameniis, in pollutionibus cum orgasmo, delirio tremente, neurosibus cum haemorrhagiis, sanguine tenui; elix. vitr. Myns., aut elix. Hall. in typho cum haemorrhagiis internis.

Vogtius observat, ex omnibus acidis fossilibus hoc esse, quod maxime usurpant medici, quia omnes acidorum dotes habet conjunctas minusque laedit digestionis officinam, quam acidum nitricum: qua tamen dote vincitur ab acido muriatico et secundum Sobernheim etiam ab acido phosphorico.

Is opinatur, hoc acidum minus, quam nitricum metamorphosin venosam, genus lymphaticorum et

glandularum, quam metamorphosin arteriosam, partes irritabiles, vasa, musculos spectare et orgasmum sanguinis refraenare: quo nomine quoque febribus intermittentibus mederi et rheumaticis, nimios sudores cohibendo et neurosibus cum vasorum irritatione, congestionibus similibusque, aut habitu scorbutico: neuralgiis, spasmis, pyrosi, cf. II. pag. 214 sq.

De virtute hujus acidi antihaemorrhagica ejusque salubritate in purpura haemorrhagica dubitat PEREIRA: praecipue vero laudat in sudoribus colliquativis et sudoribus profusis, in morbis pectoris quibuscunque aliisque, I. pag. 472.

Quod si practicorum observata meaque consulam, hoc acidum in haematosibus tam acutis, quam chronicis praesertim salubre fore: in febribus igitur putridis, haemorrhagiis passivis, adfectibusque scorbuticis, exspectandum est.

Scripsit ille, quem modo citabam, vir eruditus, acidum concentratum destruere partes, tum per adfinitatem pro aqua, unde partes carbonisantur, tum per potentiam coagulandi albumen, cum eo componendi sulphas albuminis et dissolvendi fibrinam, aeque ac coagulatum albumen. Nam primo partes albescere, formato sulphate albuminis: deinde nigrescere. An recte contendat idem, per acidum sulphuricum non colorari partes, quas tangit, colore flavo: hocque signo distingui ab acido nitrico, dubitare suadet una alterave observatio, com-

memorata ab Orfila, in ejus Toxicologia. Caeterum in veneficiis partes praesertim oesophagi et ventriculi decompositas, sphacelatas notarunt: quodsi morte lenta aegrum interimat, is ex gastritide chronica perire videtur.

Phoebus dosin acidi sulphurici, diluti partibus quinque aquae, definivit a gtt. 5 — 20 — 30, pluries de die: ut dr. j — ij quotidie ingerantur, II. pag. 27. Contra sudores hecticos tradit formulam, sub num. 42. (Richteri est) in qua dosis acid. sulph. dil. mihi nimia videtur. Etiam doses elix. acid. Hall. et elix. vitr. Myns. justo fortiores sunt. Universe notandum, ad mixturam unc. vj sufficere dr. β utriusque medicinae, nec facile ultra dr. j ad unc. viij sive elix. acid. Halleri, sive elix. vitr. Myns., aut vitr. Lond. esse adscendendum. Formulam elix. Myns., quae a nostra tinct. acid. arom. et ab Anglicana differt, descriptam invenietis a cel. Voigtel, in ejus Pharmacolog. in voce (*). IV. pag. 87.

ACIDUM NITRICUM.

Rem animadvertente Voigtelio, ex primis, qui interno usu adhibuit, fuisse videtur Tissot et qui-

(*) Formulae hae sequentes sunt:
Elix. acid. Halleri ex acid. vitriol. et alcoh. partibus aequalibus:

dem in stadio suppurationis variolarum malignarum, cum angina. Is usque ad dr. ij multa aqua dilutas intra 12 horas dedit. HAHNEMANN ex diureticis efficacissimis habuit. Angli ad morbos cuta-

---

aq. Rabelii ex acid. vitr. parte una et alcoh. partibus tribus; elix. acid. Dippelii ex acid. vitr. parte una, alcoh. partibus sex, croci dr. ij et dr. ij gr. kermes.

Elix. vitr. Myns. Rad. galang. min. unc. j β.
— calam. arom. unc. j.
Herb. menth. cr. unc. β.
—— salviae off. unc. β.
C. cinnamom. dr. iij.
Caryophyllorum.
Rad. Zingib. āā. dr. iij.
Nuc. moschat. dr. ij.
Pip. cubeb. dr. ij.
Lign. aloës.
Cort. citr. āā. dr. j.
Sacch. alb. unc. iv.
Alcoh. q. s. ut f. miscel.
consist. mell.

S. In phiala aff. acid. vitr. tantum, ut tres digit. transvers. superet. Post 4 hebdomad. Liquorem decant. Residuum iterum cum alcoh. extr. cola. Ambas tinct. misc. et iterum p. 14 dies stent in baln. aq.

Tinct. acid. arom. *Ph. B.*

℞. Alcoh. sulph. acid. (Elix. acid. Hall.) unc. iv.
Sp. vin. grad. 20 unc. viij.
C. laur. Cinnam.
Rad. zingib. off. āā. unc. β.

Sp. vitr. ib. fit ex acid. vitr. part. j et aq. sensim add. partib. v.

neos commendaverunt; tum etiam ad syphilidem et ad morbos hepatis, in quibus, cum aequales mercurio dotes observarent, acida quoque ad syphilidem curandam praescripserunt et mercurialium vim ab oxygenio (*) repetiverunt: deinceps vero nequaquam sufficere ad sanandum hunc morbum experti sunt. Tum ad icterum, fluxum hepaticum, febrem flavam, hydropem, diabetem, polydipsiam, scarlatinam typhosam laudarunt. Usu pariter externo in balneis, in inflammatione hepatis, asthmate, typho, herpete, scabie venerea, arthritide, calculo et fumigationes nitrosas, auctore Smythio, ad contagia delenda. Quas quidem muriaticis praefert cl. Harles, ubi adhibendae sunt in cubiculis locisque habitatis; in non habitatis muriaticas praeponens. Notandum autem, ex praecepto Voigtelii acidum nitricum optime ad usum internum praescribi simpliciter dilutum, sine ulla additione, neque ipso syrupo excepto, ne decomponatur, IV. pag. 110.

Richter refert, in febribus hodie vix adhiberi: siquidem acida sulphurica et muriatica, aut chlorium tutius praescribuntur. In syphilide magis symptomatibus, quam morbo mederi eidem videtur. Adversus morbum mercurialem fructuose administrarunt: etiam in erysipelate maligno inque

(*) Acidorum usus magis pervulgatus fuit, florente chymia pneumatica ex dominante hunc temporis doctrina.

ictero neonatorum, usu externo in balneis. Post suffimigia nitrosa, quoque unguenti oxygenati in morbis cutaneis syphiliticis, herpeticis, scabiosis laudati meminit.

Vogtio interprete, acidum nitricum ab aliis acidis differt, quod non refrigeret sitimque extinguat, verum contra famem et sitim excitet, urinas moveat et sudorem et mucum et salivam et bilem; verbo vitam vegetativam mutet et tamquam dyscrasiae remedium praecipue emineat: eaque propter potissimum laudat in dyscrasiis: syphilitica, psorica, arthritica, calculosa, ulcerosa: prae aliis desiderare aromatum, volatilium, opiatorum additionem monet, utut hactenus purum praescribi solet. Ex his adversus gangraenam, impetigines, ulcera, morbos ossium administrari: fumigationes vero neque fortiores esse ad contagia delenda, neque facilius a pulmonibus tolerari, subjungit, II. pag. 71.

Sobernheim vim hujus acidi in systema venae portarum inque metamorphosin venosam suspicatus est, et propter azoton depositum, in mutandam materiem organicam: quibus addi posset virtus diuretica cumque organis adparatus uropoietici cognatio.

Quemadmodum aliorum acidorum, ita hujus vim periclitati sunt medici (scripsit Dierbach, II. pag. 964.) in febribus petechialibus, scarlatina maligna, gastromalacia, ulcere phagadaenico, carie ossium, gangraena nosocomiali. Quia salivationem

movet, cum mercurio comparaverunt, et adversus luem veneream, indurationes et obstructiones hepatis, icterum, febrem flavam praescripserunt. Vis diuretica invitavit ad usum in hydrope et diabete: vis lithontriptica ad injectiones in morbo calculoso: vis rubefaciens ad derivandum per illud in cutim. Praeterea in pyrosi, pemphigo, cholera asiatica, dysenteria vario eventu administrarunt. Fred Hoffmannus ex primis fuisse videtur, qui in febribus typhosis, petechialibus propinavit, neque omittendum est, jam ante secula spiritum salis nitri, tamquam remedium adversus aestum febrilem et anginam, fuisse usurpatum (ibid. pag. 967.)

Pereira comparationem hujus acidi cum mercurio theoreticam magis, quam practicam esse arbitratur: quodsi adhibeatur, optime dari in composito decocto sarsaparillae, pag. 291.

Observationes et experimenta indicare videntur, hoc acidum simili ratione occidere atque acidum sulphuricum. Parca dosi videtur conjungi cum substantia animali (praesertim cum fibrina) majori dosi, partim eodem modo agere, partim in ventriculo superesse liberum atque dilutum, aut saltem infirmatum.

Phoebus jubet sub usu hujus acidi vasa et cochlearia lignea, aut porcellanica adhibere monetque dosin esse gtt. v—20, saepius de die, ut dr. β—iβ quotidie sumatur: quae doses justo majores mihi esse videntur. Tutius incipiendum a

gtt. iij et adscendendum ad gtt. x — xij, nec ultra dr. β d. d. deveniendum, praecipue in morbis chronicis, ubi protractior ejus usus requiritur.

ACIDUM MURIATICUM.

Ab Gmelino, *App. Med.* I. pag. 53. dicitur vi antiseptica cum praecedentibus convenire adhiberique in scorbuto, et febribus putridis malignis, in ulcere noma, tum etiam ad lavandum pedes podagricos, perniones, tineam caet. Spiritusque salis dulcis, largiori dosi ante febris invasionem adhibitus, febres intermittentes sanare, ibid. pag. 55.

Notavit Voigtel, adhibitum fuisse hoc acidum ab Anglo Ferriar in morbo scrofuloso, phthisi, dyspepsia, adhiberi in typho putrido, angina gangraenosa caet.: ab Paracelso jam fuisse propositum in febribus putridis; Reichium ex omnibus acidis hoc praeferre; commendari in hecticis febribus, adversus ischuriam, dysuriam, calculum, syphilidem, in collutoriis, ad ulcera oris scorbutica caet. Acidum hydrochloricum, sive oxymuriaticum ad morbos cutis, febres asthenicas, contagia delenda laudari et virium esse cum acidis parium.

Richter multa citat testimonia pro utilitate in febribus: opinatur vero, ab chlorio fuisse debellatum atque adsentitur Vogtio, magis ad typhosum, quam ad putridum statum pertinere: contra quem

acidum sulphuricum ei praeponit. Quomodo autem cum hac opinione cohaereat usus in scorbuto et ulcere noma, quem memorat ipse RICHTERUS, non satis intelligo. Porro majorem ejus vim esse in genus nervorum: in ischuria, dysuria, spasmis menstrualibus, tussi quinta, epilepsia, paralysi fuisse datum, ancipiti tamen fortuna, animadvertit.

VOGTIO auctore, distinguitur ab aliis acidis, quia ventriculum non laedit (an quod succus gastricus hoc acidum continet?) quia majorem habet ad systema nerveum relationem, quia secretiones non cohibet, II. pag. 63 sq.

Ex mea experientia duo sunt morborum genera, quibus fructuose opponitur: typhus et scorbutus, in quibus utrisque videtur crasin sanguinis corrigere; ex hac dote omnes ejus reliquas proprietates therapeuticas repeterem: efficacitas in ulcere noma simul promittere videtur ulcerum intestinalium in typho abdominali per hoc acidum emendationem.

PHOEBUS dosin hujus acidi determinat ad gtt. 5—20, pluries de die. Mihi solenne est, in decocto, aut solutione mucilaginea adhibere dr. β—1, ad colat. unc. xij, addito syrupo quodam e fructibus. Et in ulcere noma sp. sal. marin. ʒ1—ʒj in mellis rosacei unc. j, quae dosis etiam pro re nata augeri potest (cf. v. SWIET. *Comm.* et libr. *de Art. Med.* II. I. ad locum, qui est de scorbuto).

Chlorina therapeutica ratione plurimum cum acido muriatico convenit: at quia tam facile componitur, tantopere differunt medicorum de ea sententiae (*). In febribus, typho potissimum et stomacace: denique ad delenda contagia praescribitur; quo nomine praesertim suffimigationes a GUYTON MORVEAU laudatae et balnea et lotiones chlorinae plurimum celebratae sunt.

ACIDUM PHOSPHORICUM.

Laudavit praesertim LENTIN in carie ossium. Deinde in aliis ulceribus inque phthisi ulcerosa ab ipso LENTINO adhibita, et a NICOLAS et GUEUDEVILLE in diabete mellito. Ante omnes vero commendavit HERDERUS, tamquam remedium corpori homogeneum, ipsum vitae principium excitans atque organismo materiem suppeditans jacturae reparandae idoneam, in omni debilitate eaque maxime, in qua materies animalis organica potissimum per acidum phosphoricum resarciendum est. Itaque hujus loci sunt: haemorrhagiae asthenicae, phthisis, morbi ossium (ubi princeps medicina) caries, rhachitis; porro neuroses, spasmi, animi deliquia, morbi infantum ab irritabilitate morbosa.

(*) Eapropter ego prae chlorina uti soleo ac. muriat. dil.

In febribus maxime nervosis, asthenicis et hecticis vires diu sustentabat: in petechiis, sine febre summaque sanguinis dyscrasia (morbo maculoso haemorrhagico) inopinato profuit. In profluviis cruentis asthenicis et in phthisi haemoptoica salubre habuerunt LÜTZELBERGER et GÖDEN (VOIGTEL, IV. pag. 116.)

RICHTER praecipue irritabilibus, nervosis, ad compescendum intestinorum erethismum praescripsit (IV. 205.) Itaque in typho contagioso, haemorrhagiis, praesertim metrorrhagiis, morbis systematis uropoietici: lithiasi, dysuria, stranguria senum, spasmis menstrualibus, pollutionibus. In rhachitide minus commendabile: an in carie aliisque morbis ossium phosphorum restituat, plurimum anceps.

Dosis est gutt. 10 — 30. dr. j — ij. d. d., optime in mixturis cum aromatibus, aut ex decoct. alth., aut in julapio cum syr. rub. idaei. Habet PHOEBUS formulam pilularum c. as. foetid. et p. rad. calam. sub num. 31. II. pag. 24, quam RUSTII nomine inscripsit.

Acid. phosphoric. laudat in impotentia virili BERENDS, ubi ex nimia sensibilitate sperma brevi post erectionem, vel jam ante eam ejaculatur.

Celebrant igitur hoc acidum in morbis ex processu decompositionis, carie scrofulosa, ulcere scorbutico, phthisi ulcerosa, diabete ac quia vim in nervos habere creditur, in febribus typhosis,

etiam in adfectione hypochondriaca, hysterica cumque genitalia stimulare ferunt, in pollutionibus nimiis ipsaque impotentia (DIERB. II. 950)

PEREIRA observat, magis ex theoreticis, quam practicis principiis fuisse adhibitum: idque, ex mea quidem sententia, recte.

ACIDUM CARBONICUM.

VOIGTELIO (IV. pag. 117 sqq.) praecipiente, gas carbonicum hodie fere sive in thermis, sive sub forma pulveris aërophori, aut potionis Riverii adhibetur cum ad sedandum, tum ad morbum calculosum. Nam licet phthisicos illud inspirare prius juberent medici chymici; quia plurimum anceps remedium juremerito habetur, ab eo in hoc, quod diximus, valetudinis genere, abstinendum esse judicarunt prudentiores. Est acidum volatile, cujus actio, aliorum acidorum actione mitior, sedat ventriculi nimiam irritabilitatem, incitat emendatque secretiones cum uteri: unde vis emmenagoga ei adscripta, tum pulmonum: unde vis antiphthisica, tum ventriculi et intestinorum: unde vis stomachica, tum renum et vesicae: unde vis diuretica. Usus aquae Selteranae et Fachingensis in phthisi et hectica febre cum lacte, hujus est loci. Ad morbum calculosum hisce aquis solvitur carbonas potassae: qua solutione quoque in phthisi calculosa

utuntur medici. Interim notandum, in phthisi haemoptoica omnibusque congestionibus activis et in vertigine, aut pneumatosi ab iis esse cavendum.

Habitatio in stabulis et balneum terrestre, partim per acidum carbonicum adversus phthisin quandoque profuisse Vogtio videntur. Vim antiemeticam ipse repetit ab actione acidi carbonici sedante in nervum vagum.

Aquam carbonicam adversus calculum tum indicari notavit Pereira, quum diathesis subest phosphatica: et certe tunc cum aliqua spe successus dabitur.

De formulis pulveris aërophori cf. Phoebus l. l. I. pag. 133.

De formulis magistralibus: potione Riverii, potione Hulmii, pulvere aërophoro Vogleri cf. Richterus l. l. IV. pag. 162 sqq.

De variis thermis acidulis cf. Dierbach, l. l. II. pag. 931 sq., qui eas distinxit secundum species, quas posuit vir cl. Osann.

ACIDUM CITRICUM.

Ad refrigerandum, temperandum aestum febrilem, sedandam sitim crebro usurpatur, aqua dilutum: praecipue vero ad compescendas turbas officinae bilis, in morbis biliosis, febribus biliosis, ictero, plethora biliosa; cum coffeae infuso febres

intermittentes sustulisse fertur. Etiam scorbuto mederi adfectibusque scorbuticis, experti sunt medici. Nuper denique in syphilide administravit Rollo.

Richterus contendit, magis diaphoresin movere, quam acetum. In febribus biliosis juvare, corrigendo bilis acrimoniam. Hoc nomine morbos febriles et febre expertes ipsasque neuroses sive temperasse, seu domasse videtur. Ex infusione theae propinatum alvum strictam, aliis compluribus frustra datis, solvisse refert Tode.

Phoebus meminit curae hydropis per succum citri, II. pag. 508. In hydrope nimirum plethorico, inflammatorio, o. bih. ad unc. β. sive cochlear., sine alia potione et cum diaeta stricta praescribit.

ACIDUM TARTARICUM.

Cum praecedenti convenire, magis tamen digestionem laedere, hinc non diu protrahi ejus usum debere, monet Voigtel, IV. pag. 145, cui adsentitur Richterus, IV. pag. 180. praecipuam ejus vim diureticam esse contendens, nec faciens cum cl. Sundelin, qui opinatur, quod nitrum est respectu systematis arteriosi, idem esse hoc acidum respectu systematis venosi. Equidem si ejusmodi comparationi locus sit, mallem cremorem tartari cum nitro conferre.

Dosis sit gr. 5 cum elaeosacch. citri in pulvere,

ut dr. j. intra 24 horas sumatur. Mixtura dr. j. unius solutae in aq. unc. xij, cum syr. rub. id. unc. j β, cujus detur cochl. i—ij, quovis bihorio, praeponenda videtur mixturae, ibidem propositae, ex eadem acidi quantitate, soluti in aquae unc. iv, c. syr. rub. id. unc. β. cf. pag. 181. l. l.

TAMARINDUS.

Ab Arabibus in artem traductus hic fructus in febribus potissimum gastricis, biliosis praescribi solebat, tamquam eccoprotieum antibiliosum. In aliis quoque ejusdem generis morbis: polycholia, ictero, dysenteria, haemorrhagiis venosis, haemorrhoidibus, melaena, sive morbo nigro caet.

Convenit maxime virtute therapeutica cum cremore tartari: a quo tamen differt, quod minus irritat, ob principia saccharina gummosa. Quapropter, si pauperibus loco tamarindorum cremor tartari praescribitur, praestat alia saccharina: extractum graminis, syr. simplicem, mannam calabrinam, decoctum hordei adjungere.

Observante Sobernheim, hisce fructibus utimur partim ut refrigerante, partim ut eccoprotico laxante: quo utroque titulo antiquiores practici: Sydenhamus, Stollius, alii crebro praescribere solebant sive decoctum tamarindinatum, sive pulpam. In nostris regionibus, in quibus morbi gastrici biliosi

perqnam vulgares sunt, autumni maxime tempore saluberrimam expertus sum medicinam: decoctum graminis tamarindinatum, additis subinde manna salibusque mediis, rarius sennae foliis.

Habet Phoebus, II. pag. 523. sub num. 1039 et 1040 duas formulas, quae in hunc scopum possunt proponi. Illud tamen notandum est, prae aliis salibus, siquidem iis opus sit, praestare sal. mir. Glaub. sive sulphat. sodae, tum quod facilius solvitur, tum quod non facile decomponitur: neque semper tanta opus fore dosi, quanta eo loco indicatur; saepe sufficere vel tertiam vel dimidiam ejus partem. Cum tamarindis conferendi fructus aciduli: fraga, quae in podagra, urticaria; cerasa, quae in hypochondriasi plethorica, syr. rub. idaei, mororum, qui ad corrigendos sapores, ad aphthas praescribuntur: per quos fructus, qui perficiuntur curae aestivae, ad morbos phthisicos, hecticos, gastricos, abdominales curandos, ea maxime laude excellunt, quod haematosin vitiatam emendant (*).

(*) Hujus loci est, quae fit per uvas, de qua sequentia obiter Phoebus, l. l. II. pag. 404: »*die Traubencur besteht darin dass man die Kranken im Spätsommer oder Frühherbst, bei fleissiger Bewegung im Freien, dieserhalb jedoch nur passend in südlicheren Gegenden, wochenlang fast allein auf den Genuss der frischen Weintrauben beschränkt, nur noch nebenher etwas Weissbrod gestattet.*"

SALIA.

SULPHAS POTASSAE.

Humores spissos, praesertim pituitam tenacem adtenuare, obstructiones ex eo fonte promanantes tollere, morbos, praecipue chronicos ac febres intermittentes inde oriundas feliciter sanare, si assiduo simul seri lactis usu aegris injuncto, drachmae ejus duae multa aqua solutae mane per multos dies continuos ingerantur, antiquiorum medicorum ferebat opinio. Cf. GMELIN l. l. I. pag. 73 sq. Haec ex veterum pathologia humorali. Ex recentiorum pathologia solidi vivi VOIGTEL rem sic interpretatur, ut indicet, inprimis adhiberi ut stimulum membranarum mucosarum, vix autem ut catharticum eoque sensu prae aliis salibus efficax esse in torpore harum membranarum, maxime in statu pituitoso ac verminoso, cum medicinis aromaticis amaris. Hortatur autem medicos, ne ejusmodi digestivis, ut antea fieri solebat, abutantur. Subjungit, dari hoc consilio a granis decem ad triginta in pulvere ac, dominante acore ventriculi, in connubio absorbentium atque a quibusdam vim ejus praedicari peculiarem ad moderandam secre-

tionem lactis sanandasque lactis metastases, de qua tamen dubitat, IV. pag. 486.

Hisce addit RICHTERUS, IV. pag. 208, quia minus irritat, nec facile solvitur, non ut cathartícum, verum ut digestivum adhiberi, id est ut stimulans membranarum mucosarum intestinorum, viscerum abdominalium, ipsarum glandularum et lymphaticorum: praecipue vero indicari, ubi subphlogistica subsit conditio, contraindicari ventriculi et intestinorum infirmitate. Itaque in principio febrium gastricarum atque sicubi existat plethora abdominalis ex eaque stasis haemorrhoidalis, hypochondriasis, icterus, hydrops.

Quod vim ipsius in lactis secretionem spectat, duos citat casus, in quibus profuit, circa quos notandum: primo praescriptum fuisse ex inf. herb. digitalis purpureae; secundo praescriptum fuisse ea dosi, ut simul alvum moveret.

Hodie fere in pilulis cum rheo et sapone, in electariis lenitivis et anthelminticis praescribitur et in pulvere Doveri: sive quod propter duritiem triturationem facilitare, sive quod remedii vim diaphoreticam juvare, aut opii vim temperare credebatur.

Habetis igitur exempla compositionis hujus remedii salini cum diureticis, catharticis, diaphoreticis: quae testantur medicorum antiquiorum in miscendis medicinis sagacitatem.

Dosin ejus esse a scrupulo dimidio ad drachmam dimidiam, monet PHOEBUS: saepe tamen et minor

sufficiet. Ita in vulgari pilularum formula, qua ex sale polychr. pulv. rhei et sapone medicato, portionibus aequalibus, pilulae formantur granorum trium, quarum quinque vespere sumendae, quarta tantum scrupuli pars ingeritur. Caeterum formula hoc loco sub num. 619 perscripta minus commendanda, quia formula mixturae est. Prior et altera sub num. 617 et 618 aut nimis compositae, aut non satis definitae videntur. Formula ultima sub num. 620 ad phlegmasiam albam dolentem proposita, an facile tolerari potuerit a ventriculo, vix credo.

SULPHAS SODAE, SAL MIRABILIS GLAUBERI.

Est purgans, diureticum, solvens. Si alvum movere velis, quo quidem fine, propter vim suam refrigerantem minusque stimulantem, in febribus plurimis reliquis salibus praestat: crystallorum uncia dimidia ad uncias duas; si lotium pellere, aut obstructa vasa reserare, scrupulo uno ad drachmam unam opus est. Praestat exhibere aqua solutum et quum sapor ejus a quovis acido adjecto multo gratior fiat, huic jungere: ita v. gr. solvere potu acidulo ex succo citri parato; juvat aliquando mannam, pulpam tamarindorum, vel alia ejusmodi admiscere. Dosi minori egregie inservit reserandis solvendisque viscerum, praesertim mesenterii glan-

dularum obstructionibus et sanandae provenienti toties ex hoc fonte infantum atrophiae, ut sint, qui inter medelas huic malo opponendas, principem huic sali sero lactis soluto locum concedant; posteriori fine, melle, extractis amaris, vel sali quoque ammoniaco jungendus. GMELIN l. l. I. pag. 65 sq.

Secundum VOIGTELII adnotationes, IV. pag. 490. rarius ut digestivum, crebrius ut laxans adhibetur, alvo torpente, ex parciori secretione mucosae; adfectibus haemorrhoidalibus, graviditate, morbo verminoso, vertigine spuria idque aut minori repetita, aut pleniori unica dosi. Adversus taeniam laudavit WEIGEL; ad minuendam actionem arteriarum, tamquam antiphlogisticum, ut nitrum, laudavit THEDEN: ad revocandas prompte nimium suppressas intermittentes, parvis dosibus laudavit AMELUNG. Dosis plena est unc. i—ij. VOIGTEL, l. l. pag. 490 sq.

Animadvertente RICHTERO, neque antiphlogistici, neque digestivi titulo aliis antecellit, verum purgantis, refrigerantis, ubi revellendum, evacuandum. Facile facit alvum liquidam, neque ultra intestina actio ejus pertinet, praeterea infirmat musculum intestinalem: quare neque hypochondriacis, neque alvo duriori laborantibus convenit. Quia serum evacuat, ipsas etiam venaesectiones prophylacticas excipere quandoque potest. RICHTER l. l. IV. pag. 213 sq.

Hujus loci sunt thermae Carolinae, aliae, de qui-

bus cf. DIERBACH, I. pag. 104.

In codice Argentoratensi, sub nomine salis cathartici amari, usus hisce verbis describitur. »Hujus medicamenti laxantis et purgantis, cujus usus pro natura hominis, novitatis avida, nunc viget, dosis est ad drachmas duas, sex, ad unciam unam."

Usum breviter indicavit PEREIRA, hunc in modum: est catharticum refrigerans, quo promovetur secretio et exhalatio membranae mucosae intestinalis, quin faciat irritationem, aut febrem; quapropter ut purgans adcommodatum est febribus inflammationibusque, ubi alvus evacuanda, sine incremento motus febrilis: ejusque dosis est a drachmis sex ad octo; siccati autem et orbati aqua crystallisationis drachmae tres et dimidia potenter evacuant.

Ex formulis, quas exempli caussa proponit PHOEBUS, prior sub num. 735 et altera sub num. 736 optimae. Sub num. 741 habetur praescriptio thermae salinae artificialis, ob simplicitatem plurimum commendabilis. Additur carbonas sodae, quo acui vis purgans dicitur et acid. sulph. dilut., quo sapor corrigi fertur. Decocto graminis tamarindinato saepius hunc salem adjungunt: pauperibus ad potenter revellendum sal Glaub. unc. i—ij aq. ferventis unc. viij solvitur, cujus solutionis refrigeratae quavis hora prima aut altera bibitur vasculum. Interdum opus est, plures miscere medicinas purgantes, quemadmodum practici anti-

quiores facere consueverant, ad suum decoctum aperiens tamarindinatum infundentes fol. sennae et solventes mannam et sal mirab. Glaub. Sunt etiam, qui rheum addunt, verum nostro quidem judicio, ratione minus probanda, propter discrimen virtutis pharmacodynamicae.

SULPHAS MAGNESIAE.

Sal catharticum amarum, sal Ebshamense antiquitus dicebatur. Est huic sali vis leniter alvum ducens, ut vel iis in casibus, qui alia ejusmodi salia non admittunt, aut quibus non sufficiunt, tutam omnino efficaciam exserat et hypochondriacis, hystericis, irritabili nimis fibra, ileo, hernia, praesertim incarcerata, colica pictonum laborantibus proficiat: propinatur alias per cochlearia salis drachma una, binae, uncia dimidia, etiam integra, ut plurimum aqua vel communi, vel saporis gratia, aquae menthae piperitae partibus tribus vel libra integra soluta, nonnunquam manna et oleo unguinoso temperata, vel cum ovi vitello et gummi arabico subacta. GMELIN, I. pag. 107 sq.

Partim antagonistica depletione, partim debilitando actionem arteriarum, in synocha et phlogosi: pneumonia, ophthalmia, inprimis ileo et hernia incarcerata prodesse, in hisce reliquis praecellere, ex medicorum principum testimonio praecipit

Voigtel, IV. pag. 483. et quidem cum oleo lini, aut oleo ricini, auctoribus Pringlio et Richtero.

A sale Glauberi differre monet Richterus, actione magis prompta et certa: ob saporem tamen ingratum subinde emesin movet; nec tantum in ileo et hernia, verumetiam in colica saturnina, et purgando et decomponendo plumbi oxydum in sulphas plumbi, juvare dicitur.

Tamquam digestivum abhibetur dr. β—j pluries de die; tamquam purgans ad unc. β—ij in solutione aquosa, cum syr. succi citri, minus bene cum acido sulphurico diluto, praecipiente Phoebo: neque etiam recte aqua foeniculi additur, propter ingratum miscelae saporem. De usu hujus salis in methodo curandi syphilidem absque mercurio, cf. idem II. pag. 338 sq. l. l. De ratione utendi hoc sale in clysteribus eodem agitur loco, nec non de componendis ex ipso thermis artificialibus.

NITRAS POTASSAE.

Gmelinus, quem primo loco citabo, in explicandis nitri dotibus incipit a relatione infortuniorum ex immoderato et intempestivo ejus usu, partim ventriculi intestinorumque irritationem, inflammationem, gangraenam, partim nervorum infirmitatem denotantium: quamobrem non plenior dosis ad alvum ducendam, sed parcior ad refrigerandum,

sedandum, lotium pellendum praescribitur l. l. I. pag. 67 sqq.

Rem ita explicat Voigtel, IV. pag. 496 sqq., ut doceat nitrum vitam labefactare praesertim sanguinis et arteriarum, parcas doses minuere pulsum, concitare sensum frigoris in ventriculo diuque protractas digestionem debilitare et musculos et sanguini scorbuticam inferre dyscrasiam; majores cardialgias, vomitus, phlogosin ventriculi gangraenosam ipsamque syncopen et mortem provocare. Esse igitur adhibendum in diathesi vere sthenica, synocha, rheumatismo, pneumoniis, haemorrhagiis activis, ophthalmiis, mania phlogistica, dosi gr. x — xx, saepius repetita: in solutione cum aqua, oxymelle, syrupo acidulo, emulsione, mucilagineis junctis, aut si potenter deprimendum, in pulvere. Cavendum ab eo in inflammationibus inpuris, haemorrhagiis passivis, animi adfectibus deprimentibus: terrore, metu caet. Extus in fomentis refrigerantibus, gargarismatibus, in solutione mellis, lente ore liquescendum.

Etiam Richtero monente, est sal antiphlogisticum, sanguine fibrina abundante et crusta lardacea tecto, ad dr. ij — iv intra 24 horas, in inflammationibus, rheumatismo; praeterquam in peritonitide, nephritide, cystitide, enteritide aut phlogosibus infantum praescribendum inque haemorrhagiis duntaxat activis. In haemoptysi contra-indicatur tussi graviori majorique sensibilitate. In metror-

rhagiis nuper laudari ab Italis, idem nobis auctor est idque magna dosi. In anomalia haemorrhoidum et catameniorum plethorica ipsoque vomitu gravidarum ab hac caussa aliquid a nitro sperandum esse, opinatur. Etiam in hydrope calido nuper tamquam diureticum denuo commendatum esse. Alii nitrati potassae anteponunt nitratem sodae: de quo conf. idem l. l. pag. 250 sqq. De usu nitri cum spiritu vini cogitanti, cujus meminit Richterus, in mentem venit laudata hisce diebus spiritus vini cum sale culinari copula. Denique ipse postea in *Supplem. B.* notavit, commendatum fuisse hoc sal a recentissimis medicis, ut succedaneum venaesectionum.

Vogtio teste, antiphlogisticum refrigerans est, prae omnibus aliis salibus, et antiplasticum usque ad scorbutum, minus in secretiones intestinales, magis in diuresin et diaphoresin agens. Quoad usum therapeuticum citat congestiones, apoplexias, ex suppressis haemorrhoidibus, aut catameniis, phthisin floridam et hydropem denique, ex phlegmasia chronica subsistente.

Sobernheim usum nitri in haemoptysi repetit ex revulsione in canalem cibarium; quemadmodum usus culinaris salis ex eadem repetendus est. Dierbach utilem esse hunc salem in scrofulosi inflammatoria, etiam ad calidiora remedia temperanda: opium camphoram caet. Praecipue per scholam Stahlianam usum fuisse pervulgatum scribit: mixtionem

tamen nitri cum cinnabari a STAHLIO non esse oriundam.

Sal prunellae, nitrum tabulatum, secundum alios nitrum cum pauxillo sulphuris, secundum alios cum acidi sulphurici tantillo est.

Practici antiquiores nitro utebantur in compositione remediorum, consilio temperandi: hoc consilio etiam nitrum cum sulphuris minima dosi copulabatur et ut supra memini, cum camphora, cum opio, cum aliis. Forsitan ejusmodi compositiones perperam negliguntur, si corrigendae remediorum dotes, aut in certum finem dirigendae et per ejusmodi artem nonnumquam remedia juncta sunt, plane sibi opposita: quemadmodum talis conjunctio cernitur in formula ab HARTMANNO proposita: nitri scilicet cum spiritu vini ad sistendam haemoptysin.

Ex compositionibus cum nitro plurimum cognitis sunt: nitri cum sambuco, bardana similibusque diaphoreticis: nitri cum sulphure, nitri cum opio, cum camphora, cum digitali aliisve diureticis: etiam cum tartari cremore, qua vis diuretica insigniter promovetur.

PHOEBUS varias formulas habet connubii cum aliis salibus: cum tartaro, cum sulphate potassae, cum sulphate sodae, titulo pulveris antiphlogistici. Sub num. 597 profert pulverem ex nitro, sulphat. potassae et tartr. potass. Etiam ejus copulae exempla tradit cum saccharo lactis, cum oxymelle, cum

camphora, cum extr. hyoscyami, cum mucilagineis et sub num. 600 solutionis kali nitrici ex decocto graminis cum oxymelle, cujus creber usus est in erysipelaceis. Usu externo etiam in fomentatione Schmuckeri, cum sale ammoniaco et aceto componitur. Pulveris temperantis ex nitro, sale Glauberi et cinnabari compositi, multiplex abusus est. Is vel cum mucilagineis ex decocto hordei, solutione gummi arabici, vel ex aqua foeniculi optime propinatur. In pulvere, cum nitro et pulv. gummosus et sacch. lactis saepenumero conjunguntur; subinde etiam nitrum praescribunt ex emulsione amygdalina, vel decocto althaeae officinalis. Memoranda quoque est compositio cum sulph. aurat. antim., in scrofula inflammatoria: vix tamen commendabilis. Dosis est gr. 5 — 20 o. bihorio, aut omni hora; drachm. I — III quotidie.

SALES HALOIDEI.

SAL CULINARE, MURIAS SODAE.

A Gmelino celebratur hujus salis vis cathartica, antihelmintica, antiepileptica, cum priori antihelmintica fortasse conjungenda, antihaemorrhagica, antiscrofulosa: praeterea usu externo, ad suscitandos homines, leipothymia correptos, ab animalibus

rabidis venenatis sauciatos sanandos, in tumoribus cysticis palpebrarum, in hydroceles medicatione: in suffusionibus, in morbis cutaneis, scabie caet. I. pag. 79 sqq. l. l.

Voigtel, IV. pag. 533. hoc sal proponit, tamquam stimulum potentem superficiei mucum secernentis ideoque adversus vermes, sanguinis profluvia tam activa, quam passiva, alvi profluvia, lienteriam, tumores mesenterii: extus in tumoribus oedematosis, lymphaticis, scrofulosis, tumore albo, in enematibus apoplecticorum, asphycticorum, in balneo maris caet.

Ex Richteri conjectura non tantum stimulus est membranae mucosae primarum viarum, verumetiam per eam traductus lymphaticorum et glandularum: quem in finem uti digestivum diaeticum alimentis additur, per abusum dyscrasiam scorbuticam inferens. Adversus syphilidem etiam usurpatum esse. Circa usum in haemorrhagiis animadvertit, hoc sale prompte sisti fluxum: maxime autem proficuum esse, ubi ex hirudinibus deglutitis orta sit haemorrhagia et propter salem reconditum quoque prodesse lac halecum. Usui aquae marinae in tabe glandulari, commemorato ab Anglis: Russell, White, aliis, minus hoc titulo favet Richterus. Balnea salita tamen laudat in morbo scrofuloso, rheumatismo chronico, neurosibus abdominalibus. Balnea marina, in similibus morbis salubria, contra-indicantur: inflammatione inter-

na, congestionibus activis, adfectionibus pectoris, haemorrhagiis, vitiis organicis. Ejusdem generis et usus sunt thermae salinae, in morbis cutis et glandularum inprimis utiles, IV. pag. 269 sq.

Pediluviorum salinorum etiam meminit Dierbach, revellendi fine eodemque loco hortatur, ne lactantes abutantur salinis: inde enim fieri infantum lippitudines et morbos cutaneos.

Pereira, auctore Liebig, salina agere absorbendo humores contendit l. l. pag. 106.

MURIAS AMMONIAE.

Hujus salis usus cum in rheumatismo, tum in blennorrhoeis maximus, in nostra usque tempora translatus est. Porro antiplasticis adnumeratur, inter nitrum et mercurium intermedius.

Ex Richteri adnotationibus adhibetur in febribus gastricis, mucosis: in typho, cum statu mucoso utiliter praescripsisse se ipse testatur inque huic adfine peripneumonia notha; in febribus intermittentibus ejusdem generis, maxime vernalibus, quotidianis, ex infuso chamom. Rom. cum extr. amaris resolventibus: ipsisque autumnalibus cum cort. peruv., tart. emet., rheo et ego saepius fortunate eo usus sum.

Ex chronicis, in morbo tuberculoso pulmonum, hepatis, scirrho prostatae, catarrho sive blennor-

rhoea vesicae, aliis catarrhis chronicis et blennorrhoeis recte laudatur. Optimum corrigens est liquiritia.

Phoebus aptissime in bolis dari praecipit ℈j cum pulv. et extr. liquir. Ego saepius in electariis et pilulis praescripsi cum liquiritiae succo partibus aequalibus, ita ut viginti pilulae granorum trium aut quatuor quotidie usurpentur. Compositio cum digitali tam in pulvere, quam in pilulis, in hydrope pectoris, asthmate et cordis vitiis organicis plurimum commendanda.

Ex formulis apud Phoebum notanda est, quae sub num. 91 habetur: ex sulphure depurato, ammonia muriatica depurata et extracto dulcamarae. Praeter succum liquiritiae, fine corrigentis, laudatur emulsio amygdal.

MURIAS BARYTAE.

Titulo antiscrofulosi commendatur et secundum nonnullos praecipue in scrofula propria; secundum alios in morbis ossium scrofulosis adhiberi meretur. Hufelandus memorat connubium cum muriate ferri, quod reprobat Richterus. Hic cum arsenico confert. Efficax connubium est cum aqua laurocerasi et extr. cicutae, ut solvantur muriat. baryt. et extr. cicut dr. j aquae laurocerasi unc. iij hujusque solutionis detur cochlearculum, bis aut ter

de die. Praefert Baudelocque solvere muriat. baryt. magna aquae quantitate, adinstar mixturae, aut aquae mineralis.

Phoebus sub num. 162 citat connubium cum flor. sal ammon. mart., quod proposuit Clarus: quodque pariter magna aquae quantitate, ad eandem normam dilutum, praescribi posset. Sumebat Baudelocque gr. j mur. baryt. pro unc. j aquae destillatae et praescribebat cochlear unum mane et vespere, ut aeger uteretur gr. ½ bis de die, quae dosis sensim augebatur: interdum ad gr. iij de die; id est, ad gr. iβ mane et vespere, sive cochl. iβ.

Mitior medicina, murias calcis, simili modo praescribenda; jam diu cognita inter nostrates sub nomine liquoris lithontriptici Looffii, pariter stimulus lymphaticorum, in morbis scrofulosis et hydropicis efficax. Formula sub num. 178, qua hujus medicinae dr. j solv. aq. unc. vj, mihi ita mutanda videtur, ut gr. vj — xij eadem aquae quantitate solvantur hujusque miscelae mane et vespere cochl. i — ij praebeantur.

CHLORURETA.

Inhalationes chlorinae Vogtio laudantur in gangraena pulmonum. Aqua oxymuriatica, ob facillimam decompositionem incertae virtutis, commendatur in febribus typhoideis, stomacace, gastroma-

lacia, scabie. Suffitus habentur ad depurandum aërem. Lotiones et fomenta in ulceribus gangraenosis. DIERBACHIO convenire cum jodio videtur.

Caeterum dosin definivit PHOEBUS chlori calcarei gr. xxx ad aq. destillat. unc. viij. Aquam oxymuriaticam addunt ab unc. β — unc. j aquae libraе uni.

SALIA PHOSPHATICA.

Ex hisce, RICHTERO auctore, laudatur phosphas sodae, tamquam mitissimum salium purgantium et saporis prae aliis minus ingrati, praesertim si jure carnium solvatur. Creditur etiam, quatenus cum organismi compositione convenit, omnium facillime suscipi. Dosis tamquam digestivum, resolvens est dr. β—j, tamquam catharticum unc. i—ij.

ACETATES.

ACETAS POTASSAE, TERRA FOLIATA TARTARI.

Quod de hoc sale testatur cl. VOIGTEL, esse ex praecipuis remediis icteri et hydropis, si ex torpore et obstructionibus organorum bilis proveniant, traditione medica medicorum antiquiorum firmari videtur: quemadmodum declarant, praeter aliorum,

Huxhami et Tissoti hujus medicinae encomia: quem in finem etiam acetatem potassae liquidum, sive quod nomen antiquum est, liquorem terrae foliatae tartari praescribunt. Ipse autem Voigtel cum extractis amaris, succo chelidonii, rheo componere solebat, ego saepius cum extracto taraxaci et aqua laurocerasi, eodem consilio conjunxi.

Richterus rem ita explicat, ut doceat, potissimum secretionem urinae et bilis promovere ac praecipue membranas mucosas, vasa lymphatica et glandulas eo affici: atque spissitudinis atrabilariae princeps esse remedium. In ictero epidemico dedisse Hufelandum: urinam eo fieri alcalinam, et in lithiasi multum bonae frugis ab eo exspectandum esse inque arthritide. In hydrope cum oxymelle scillitico copulandum esse: ejusdem virtutis acetatem sodae similibus morbis mederi. Quia haec salia ex mitissimis sunt, in ipsa melaena tentari poterunt.

Sobernheim in plethora abdominali, sive hyperaimia abdominis atque scrofulosi phlogistica convenire contendit, nec non in hydrope tam febrili, quam venoso, hepatico, ictero, scirrho ventriculi (cum cicuta, belladonna, aqua laurocerasi) chlorosi, cum martialibus. Angliae medici tamquam diureticum in hydrope adhibent. Liquor terr. foliat. tart., solutio hujus salis in aquae distillatae partibus duabus, praescribitur ad dr. $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{2}$ cum extr. digitalis. Phoebus l. l. II. pag. 333.

Ejusdem census acet. calcis, a Richtero habe-

tur diaphoreticum, diureticum, antihydropicum; caute tamen adhibendum, IV. pag. 335. Ipse cum muriate calcis comparare videtur.

ACETAS AMMONIAE LIQUIDUS, SPIRITUS MINDERERI.

Voigtelio, IV. pag. 527. dicitur lenis stimulus cutis et officinae uropoieticae: hinc in catarrhis et rheumatibus, absente vera phlogosi, proficuus ad promovendam crisin per sudores. In morbillis, phlegmasiis erysipelaceis, arthritide chronica, morbis cutaneis chronicis: herpete, scabie etiam salutaris. Palmarium quoque remedium esse ad movendas urinas in hydrope spastico, post exanthemata, et vago denique. Extus ad discutiendos tumores ita dictos frigidos, glandulosos, lymphaticos tumoresque a contusione, luxatione, lactis stasi, caet. proficere.

Richtero auctore in peripneumonia notha, angina parotidea, erysipelate neonatorum inprimis huic sali diaphoretico locus est: inque exanthematibus febrilibus, tardante eruptione atque ex hisce in morbillis, urticaria, essera, in febre lactea catarrhali, in typho catarrhali, in hydrope vago, inque hydrocephalo ejusdem originis et ictero ex catarrho, in phthisi catarrhali, pleuritide occulta, asthmate, hysteria, hypochondriasi

supparis originis cutaneae, uteri rheumatismo. Attamen ex diutius protracto usu vel miliaria, vel sudores colliquativos metuit.

Monente Vogtio medium tenet inter salia et ammonium.

Sobernheim honorem inventi Boerhaavio, Dierbach, Gilberto Anglico tribuit.

Is effacissimum diaphoreticum reputat, quod tantum sub regimine frigido urinas ciet.

Alii ad veneficia narcotica, alii ad crapulam solvendam laudaverunt.

Dosis est dr. j — ij ex infusione sambuci, aut theae. Phoebus sub num. 646 habet formulam compositionis cum aethere acetico.

Notanda connubia cum valeriana, guajaco, aconito, opio, stibiatis, gummi ferulaceis, potissimum cum asa foetida, quorum meminit Richterus l. l. pag. 342 sqq. nec non cum senega, camphora, dulcamara, helenio.

De historia remedii cf. Dierbach, I. pag. 367 sq.

CITRATES.

De hisce cf. Richterus l. l. IV. pag. 348 sqq. Commemorantur: citras potassae, citras sodae, citras calcis.

TARTRATES.

Cremor tartari Arnemanno dicitur refrigerans, purgans, diureticum, in febribus biliosis, haemorrhagiis febrilibus, hydrope calido adhibendum.

Voigtel redarguit abusum in febribus, hypochondriasi, podagra, gonorrhoea.

Est temperans bilis in polycholia, ictero calido, dysenteria, diarrhoea et laudatore Menghini, remedium antihydropicum, diureticum, in hydrope calido inprimis profuturum: etiam in obstructione, haemorrhoidali cum sulphure componendum. Est sal acidulum, quod contraindicatur constitutione infantili, ventriculo debili, flatulento, alvo laxa. Est remedium plethorae venosae et polycholiae et hydropis venosi, etiam calidi post scarlatinam. Componitur cum nitro, jalappa, guajaco, cort. peruviano, rheo, sulphure, tartaro emetico caet. Dosis ut digestivum ad ϑ β—j, ut purgans dr. ½—ij. Phoebus, II. pag. 524 (*)

Tartarus tartarisatus a Sundelin laudatur in constitutione atrabilaria, pulsu pleno, tardo: in haemorrhoidibus coecis, in melaena, in melancholia:

(*) Notandum, difficulter solvi hoc sal: formula solutionis sequens est: ℞ cremor tart. unc. β. sacch. unc. ij, solv. aq. libris duabus. Phoebus, sub num. 2047. II. pag. 525.

quo referendum decoctum MUZELII, ex decoct. hordei, tart. tartaris. extr. taraxaci et melle. Notandum, saporem ingratum esse et pluribus formulis addi oxymel, quo mutatur.

Tartarus boraxatus, ejusdem virtutis, potissimum commendari meretur tamquam diureticum, digestivum, resolvens in hydrope ex catameniis perturbatis: quemadmodum usu habeo comprobatum. Dosis scr. β—j, aut si purgare velis, unc. j—jβ PHOEBUS, II. pag. 524. Not. compositiones cum oxymelle in formulis traditis.

Observationes de peculiaribus horum salium viribus exacte ponderandae sunt: siquidem plerumque cum aliis simul remediis dederunt medici et saepenumero cum iis, quibus decomponuntur. Hoc de additione oxymellis tam simplicis, quam scillitici monendum est deque aliis salibus additis. Quapropter eae duntaxat observationes proferendae sunt citandaeque, quae formulas simplices spectant, quae rariores erunt, imo rarissimae, si cogitetis, ipsa extracta, quae vulgo dicuntur, resolventia, salina habere principia et thermas salinas pluribus vulgo salibus componi, varia proportione conjunctis. Quae cum ita sint, praestabit, observationes de salibus ultimo loco commemoratis, utrum ad acetatem potassae pertineant, videre, quo facto, invenietur, rem revera ita se habere: et thermas quod spectat, experientiam non de simplicibus salibus, verum de compositis testa-

ri; quemadmodum universe notandum: videlicet traditiones medicas de virtutibus dosibusque medicamentorum therapeuticis et pharmacodynamicis non tam singula adtinere medicamenta, quam medicamentorum compositorum formulas. Operae igitur pretium faceret, qui hoc pacto traditiones et observationes medicas de medicamentorum viribus commentaretur ac praeter singulorum expositionem, eas exponeret, quae formulas medicinales comprehenderent. Quae quum cogitabam, consilium cepi, de hac quoque parte pharmacologiae practicae seorsum agere, postquam scilicet priorem absolveram.

DE REMEDIIS ALCALINIS, TERREIS, ACIDIS ET SALINIS.

Haec remedia inter se comparata tam conveniunt inter se, quam inter se repugnant; quare primum de similitudine, tum de discrepantia agendum.

Conveniunt, quod primaria eorum actio est in vitam organicam: in officinam primam, in mucosas, genus glandularum et lymphaticorum, ad cachexiam, dyscrasiam multiplicem: scrofulosam, arthriticam, calculosam; quod constitutionem et plethoram venosam pleraque aut tollunt, aut emendant, quod alvi, urinarum secretiones, excretiones jam promovent, jam corrigunt, emendant, mutant, moderantur. Aliorum actio mucosa ven-

triculi et intestinorum continetur, pertinent aliorum vires in glandularum lymphaticorum penetralia, potestas aliorum ipsam sanguinis crasin convertit, aut cutis sive munus, sive fabricam alterat; nec nisi per vitam plasticam mutatam neurosibus mederi videntur. Complura caustica sunt, rodentia, venenata et haec quidem tam alcalia, quam acida pura: sunt alia inertia, aut leni tantum stimulo armata. Pleraque nisum plasticum refraenant, aut digestionem debilitando, aut excitando secretiones excretionesque sicque promovendo decompositionem, aut absorbtionem augendo, accelerando, aut ipsum sanguinem alterando, dissolvendo, aut refrigerando, aestum febrilem temperando, cordis arteriarumque pulsum retardando cohibendoque nutritionem. Morbi gastrici, mucosi, cutanei, erysipelata, hydropes, arthritides, lithiasis, icterus, morbique ex plethora venosa oriundi, haemorrhoides, melancholia, menostasia, helminthiasis ex praecipuis morbis sunt, quorum medela talibus remediis perficitur.

Praeter communia haecce, alia quibusdam propria sunt. Sulphur et de sulphure parata cum scabiei adversa sunt, tum haemorrhoidibus: alcalia et arthritidi contraria sunt et renum, vesicae calculo. Acida sanguinis orgasmum temperant, sistunt haemorrhagias, medentur scorbuto. Salia parca dosi digestiva sunt, plena dosi cathartica: media diuretica, subinde diaphoretica. Terrestria

acorem primarum viarum tollunt: iisque sensus ventriculi hebescere, obtundi quadantenus videtur. Calx et alumen virtute adstringente praedita sunt: quae in alumine plurimum eminet. Nitrum et acida mineralia sanguinis officinam, ipsumque sanguinem dotibus suis alterant: sed suo singula modo: nitrum est refrigerans antiphlogisticum, acida sunt refrigerantia antiscorbutica et antiseptica: illud orgasmum inflammatorium, haec orgasmum venosum reprimunt. Illud haemorrhagiis adversatur activis, haec atonicis. Quodsi cum humorum orgasmo, non phlogistico, nervorum erethismus conjungatur, optimum in elixirio Halleri habetur remedium; dum in aceto laudatur nervos refocillans, analeptica virtus. Acidum tartarosum, cremor tartari, acetas potassae bili domandae et plethorae venosae idonea sunt: itaque praecipue remedia sunt polycholiae, quae febris biliosae, icteri calidi, diarrhoeae biliosae caussa proxima et principium habetur.

Communis acetatum et tartratum usus est in morbis hydropicis: celebratur quoque nitri potestas diuretica; differunt autem ita, ut in hydrope inflammatorio nitrum, in hydrope venoso cremor tartari, aut liquor terrae foliatae tartari praeponi mereatur: in hydrope vero rheumatico, aut catarrhali reliquis antecellat Mindererі spiritus.

Quemadmodum singulis suae vires sunt, sic utiliter quandoque componuntur: nitrum cum cremo-

re tartari, tartarus cum borace, Mindereri spiritus cum liquore terrae foliatae tartari, sal tartari cum aqua minerali carbonisata, sulphur cum terrestribus, cum tartari cremore: quae formulae compositae partim ad vim remedii acuendam, partim ad eam in certa loca et organa dirigendam, partim ad corrigendas remedii dotes ac proprietates inventae sunt. Hoc pacto nitrum cum cremore tartari copulatur, ubi cum plethora venosa orgasmus est inflammatorius. Liquor terrae foliat. tartari spiritui Mindereri additur, ubi et cutis functio laesa, et hydrops venosus est. Tartarus boraxatus praescribitur, ubi ex catameniis suppressis hydrops succrevit. Sulphuris calidior indoles nitro, cremore tartari corrigitur, vel magnesia stimulus obtunditur simulque in sulphuretum mutatur, quod pariter ab adjuncto fit pulvere lapidum cancri.

Ultimo notandum est, alia salia purgandi fine adhiberi: ut sulphas sodae; alia resolvendi, tamquam digestiva: ut sulphas potassae; alia urinas movendi: ut terra foliata tartari inque nonnullis morbis aliorum laudari virtutem propriam: ut sulphatis magnesiae in colica saturnina, ileo, hernia incarcerata; carbonatis potassae et sodae in lithiasi, praesertim urica, atque dum reliqua alvum solvunt, ex alcalibus calcem, ex terrestribus cretam, vel cancrorum lapides alvum stringere: quum contra magnesia alvum strictam reseret; quas dotes eam ob caussam cognoscere oportet, ut si quando

cum aliis copulentur, iis, quae alvum aperiunt, siquidem requiratur, vel alvum stringentia, vel alvum purgantia adjungi possint. Sic v. gr. sulphur sive cum tartari cremore, sive cum magnesia, seu denique cum cancrorum lapidibus rite conjungitur inque pulvere Doveri opio et ipecacuanhae additur tartarus vitriolatus et in faciliorem subactionem et ne alvus nimis cohibeatur. Etiam definiendae doses sunt aut minores, aut majores, prouti scopus est purgare, aut resolvere tantum.

An salia ex principiis, quibus constant, aestumare oportet, an vero tamquam corpora nova spectare, quaeri, nec sine caussa, posset. Quae quaestio eo magis moveri debet, quia saopius pharmacodynamici priori utuntur explicandi ratione. Quodsi vero cogitemus, in salibus vires dotesque utplurimum non facile intelligi ex viribus dotibusque sive acidorum, sive alcalinorum, quibus componuntur, in eam veniemus sententiam: ut nova corpora spectanda esse. Fatendum tamen, discrepare ab aliis alia nonnullorumque naturam in alcali, aliorum in acidum magis inclinare, in aliis connubium magis arctum, in aliis magis laxum esse: etiam in corpore mutari diversimode. Quae quum ita sint, hactenus, donec magis subtiliter et compositionum et mutationum istarum potestas fuerit explorata et cognita, tutius erit, in observatione et experientia requiescere, quam praematura atque hypothetica interpretatione, quod artis tantum

est, scientiae sub larva proponere atque aliena veste indutum in scenam producere, in magnum miserorum aegrotantium damnum et medicorum juniorum dedecus et fallaciam.

METALLA.

AURUM.

Hoc metallum veteres cordiale habuere, recentiores in syphilide potissimum et hydrope commendarunt. De priori, cardiaca virtute: cf. Gmelin, *App.* I. pag. 443 sqq., de posteriori, antisyphilitica et antihydropica, cf. Riecke l. l. pag. 66 sqq. qui copiose et docte de hoc argumento scripsit. Reliqua mittentes, de usu therapeutico videamus. Hoc auctore, docemur numerum observationum hunc usum spectantium increvisse ad plures centenas, praecipue vero tamquam succedaneum hydrargyri fuisse adhibitum atque in pluribus casibus successisse, in quibus mercurius spem fefellerat: in morbis cutaneis, syphiliticis, in cachexia mercuriali, in complicatione syphilidis cum scrofulosi. Neque tamen omnibus par de ipso judicium est. In morbis cutaneis efficaciam negat Biett; negat in morbis syphiliticis sive primariis, sive secundariis Ricord: quod utrum ex opinione praejudicata negaverit, quemadmodum Riecke contendit, non ausim adfirmare. In hydrope frigido post scarlatinam lau-

davit WENDT. Vos si plura de hoc remedio scire cupiatis, adeatis auctorem supra laudatum. Equidem nondum convictus sum de illius salubritate, neque video, cur medicamentis priscis, melius cognitis, substituamus nova, incognita, aut saltem hucusque non satis explorata, praesertim ea, quae tam caro veniunt pretio et tam dubiae sunt et ancipitis virtutis. Ex praeparatis ante alia celebrantur aurum muriaticum et aurum muriaticum natronatum. Hoc in pulvere praescribitur a gr. $\frac{1}{10}$ — $\frac{1}{8}$ sensim adscendendo ad gr. j cum saccharo aut amylo, prius spiritu vini loto, aut in mixtura gr. j ex aq. destill. unc. β. 3. dd. gtt. 6 — 14 ex aqua, una cum decocto sarsaparillae, idque horae ad minimum spatio interposito, regimine idoneo, per menses integros.

ARGENTUM.

Nitras argenti nuper magnam famam nactus est in curanda epilepsia et usu externo tamquam causticum in stricturis urethrae, phthisi laryngea et ophthalmiis chronicis. De usu interno judicare nequeo, usum externum in laryngitide chronica, phthisi laryngea et conjunctivae inflammationibus experientia habeo comprobatum: ut facile subscribam encomiis a viris peritissimis TROUSSEAU

et Belloc huic remedio datis. De administrandi ratione juvabit hos auctores consulere.

CUPRUM.

Cuprum ammoniacum et vitriolum cupri duo sunt praeparata, quibus maxime usi sunt medici practici: priori in epilepsia, posteriori in angina membranacea.

De utroque usu videamus. Alii epilepsiae verminosae, herpeticae, alii organicae, alii dynamicae mereque nervosae mederi contenderunt: ac phlegmaticis, pituitosis, adultis potissimum aptum habetur. Quae variae virorum doctorum sententiae satis declarant, vere dixisse Sobernheim, pharmacodynamicen hujus metalli hactenus esse incognitam.

Cuprum ammoniacum, sal antepilepticum Weismanni, tamquam princeps ad epilepsiam praesertim habitualem profligandam ab auctore ipso commendatum, adstipulante ipsi aliorum quoque, praesertim Brittannorum medicorum experientia, nausea tamen et vomitibus, quos ciet, aegris magnopere molestum, tanto magis, quod per plures septimanas continuari ejus usus debet et tunc aliquando inanis, iis aegris maxime conveniens, qui debilitate, relaxatione, nimia irritabilitate laborant, non perinde plethoricis, nisi per evacuantia, vitae genus adcommodatum et refrigerantia obstaculum

istud sublatum sit: ita GMELIN, I. pag. 137. l. l.

In hoc remedio per ammonium cupri vim alterantem magis in nervos dirigi conjicit SOBERNHEIM idque primo in nervos vitae vegetativae, tum in nervos vitae animalis sicque neurosibus periodicis mederi. An derivando, revellendo prosit, an delendo seminium epilepticum, an alio quocunque modo, difficile dictu (*). Desunt hactenus observationes, quae de peculiari medicaminis virtute nos certiores reddant. Neque negligenda in sanguinem efficacitas, quam post alios animadvertit VOGT in pharmacodynamice.

Usum sulphatis cupri si quaeratis, in angina membranacea tum profuturum videtur, quum in chronicam formam transiit: quamquam alii in acuta ipsoque initio prodesse scribant: quod mihi experientia comprobatum non est; quoniam sub hisce conditionibus hoc remedio uti minus tutum videbatur.

Cuprum sulphurico-ammoniatum, sive cuprum ammoniacale ad dosin gr. $\frac{1}{8}$ — $\frac{1}{2}$ usque ad gr. ij—iij praescribendum esse monet PHOEBUS. Praescribitur in pilulis, cujus formulae exemplum tradit sub num. 323. et in pulvere cum saccharo, quod ultimum vehiculum reprobat cujusque loco pulv. liquir. posset adhiberi.

(*) HUFELANDUS hoc remedio sanasse se refert epilepsiam cum mania, cerebro infirmo subparalytico, *Diar.* V. 41. P. 5. pag. 16.

Cuprum sulphuricum dosi gr. $\frac{1}{4}$—j, majori vero scopo emetico. Etiam pilularum forma proposuit Phoebus. Quodsi in pulvere detur, idem sit vehiculum. Equidem in mixtura dedi ex aqua destillata idque parca dosi gr. 1 ad unc. viij. 3—4. dd. cochl. optimoque successu in angina laryngea chronica infantum. Caeterum notandum, doses utriusque remedii mihi justo majores videri.

ZINCUM.

Per Gaubium primum innotuit oxydum zinci, tamquam antispasmodicum. Inventi historiam, ab ipso traditam, narravi in libr. II. P. II. *de Arte Medica*, p. 282 sqq. Is primo dedit infantibus, eclampsia prehensis, ex acore primarum viarum et ex dentitione, tum puellis et mulieribus et ex iis puellae ex terrore neurosi plurimum variabili affectae, cui fracta est mali saevitia et plena tandem rediit sanitas. Deinde ad alias convulsiones et spasmos sedandos, tam hystericos, quam qui exanthemata febrilia comitari solent, ad choream sancti Viti, ad epilepsiam praesertim puerorum, ad asthma spasmodicum, tussin quintam sanandam, ad cardialgiam, singultum adhibuerunt.

Ipse Voigtelius, IV. pag. 449. se ejus efficaciam expertum testatur in convulsionibus puerorum, tussi quinta, cardialgia, a parva dosi gr. $\frac{1}{8}$—$\frac{1}{2}$ in-

cipiens, usque ad gr. iv, x, xx. in adultis pergens, in pulvere cum saccharo, additis subinde valeriana, hyoscyamo similibusque.

Usu externo in ulceribus atonicis et ophthalmiis chronicis potissimum a chirurgis adhibetur.

Est sedans metallicum, quod, ita opinante Richtero, ad nervos motorios praecipue adtinet et nervum vagum. Is tamen remedium saepenumero iners expertus est. In chorea sancti Viti laudatur ab aliis, ab aliis culpatur pariterque in epilepsia. Morbi ex terrore nati sanationem citat Richterus, IV. pag. 514. Puellae casus est, cui paullo ante accessum datum ad ʒ β. Huic alterum pueri addere possum, cui morbus a tussi et spastica pectoris adfectione initium faciebat. Neque in asthmate spasmodico frustra datum, quamquam crebro spem fefellit.

Sulphas zinci adhibitus ut emeticum, in veneficiis et ubicunque prompta requiritur vomitorii actio. Parcis, at repetitis dosibus, ut antispasmodicum, paribus in casibus, ac zinci oxydum, cui tamen miti indole nequaquam suppar, a nonnullis commendatus. Similis quoque usus externus in ulceribus laxis, atonicis et ophthalmiis chronicis praesertim. Denique pars est unguenti ad scabiem.

Phoebus zincum oxydatum via humida paratum, usu interno praescribit ad dosin gr. 1—3. adscend. ad gr. 6—8. in pulv. Posset etiam in pi-

lulis praescribi zincum sulphuricum, ut antispasmodicum, dosi gr. $\frac{1}{8}$—$\frac{1}{2}$ o. bih., dosi emet. gr. v, omnibus x min. prim. In collyriis gr. vj ad unc. iij sufficiunt. Saepius enim a chirurgis nimia dosi praescribitur sicque irritando nocet. Non adsentior Phoebo, zinci oxydo sublimato praecipitatum substituenti. Nam formulae justis laudibus celebratae haud temere mutandae sunt.

Dubitat Dierbach, neque immerito forsitan, utrum vis zinci antispasmodica non soli vi emeticae debeatur et recte monet, testimonia de virtutibus hujus metalli therapeuticis nequaquam consentire. Etiam Pereira parum zinco tribuit.

Et profecto negari non potest, paucis experimentis fortunatis plura experimenta frustranea opponi: quod utrum aegrotantium idiosyncrasiae, morborumve naturae variae et mutabili, an experiendi modo aliive cuicunque caussae tribuendum sit, ignoro; quoniam vulgo observationes omnibus numero absolutae tradi non solent. Idcirco optandum foret, ut medici subtilem imitarentur physicorum et chymicorum experiundi artem, qui omnes conditiones adcurate notare, ponderare et aestumare satagunt et exacte referre, quidquid sub experiundo observatum sit, sive bonum successum habuerit, sive habuerit malum, aut nullum, aut imperfectum. Si minus encomiis suis laudibusque onerassent, quam adcurato examine explorassent medici medicamentorum dotes ac vires longe per-

fectiorem, quam nunc est, haberemus materiem medicam.

Connubia etiam memoranda aliorum medicaminum: valerianae, hyoscyami, moschi caet. quibus fortasse major, quam simplici metallo laus tribuenda.

BISMUTHUM.

Magisterium bismuthi, tamquam cardialgiae remedium primus proposuit ODIER. Secuti sunt alii et RADEMACHER, qui pulv. cort. peruv. addebat, quo facto neque cardialgiam movebat, ut prius, aut vomitum, et simul febris cito fugata est: et nostras THUESSINK, qui vomitum spasticum eo compescuit.

RICHTERUS aliorum testimonia citans etiam contraria refert: scilicet in duobus modo aegris morbum perquam pertinacem eo sustulit: in reliquis plurimis incassum dedit. Etiam in vomitu chronico ab erethismo ventriculi ipsi profuit. Epilepsiae ex ventriculi dolore ordienti mederi mihi ipsi contigit, suadentibus RICHTERO et FRANKIO. In cholera Asiatica ancipiti fortuna medici periclitati sunt. In vomitu aqueo ex pancreatis morbo laudat, expertus salubritatem VOGTIUS, in connubio cum rheo. Ab aliis cum belladonna, incipiente ventriculi scirrho (SOBERNHEIM).

Dierbach ad unam tribum pertinere cum zinco et plumbo existimat: monet tamen, effectum ejus in corpus humanum vix esse cognitum; in animalibus fuisse gastromalaciam, quae a protracto usu terrere debet; praecipue cum saepius ejus inertiam in cardialgia levanda doluerint medici.

Pereira magna dosi se sine noxa praescripsisse testatur, nec tamen quo eventu, memorat.

Caeterum a parva gr. ½ incipiendum suadent plerique: quam etiam praecipit Phoebus. Nec tamen facile ad gr. x aut ʒ j adscenderem. Pro vehiculo pulveris commendat pulverem gummosum: alii saccharum adhibent, aut magnesiam; elaeosacchara, pulv. valerian., pulv. ipecac., aloën. cum eo componunt: hisce tamen connubiis propter irritationem, quam faciunt, aut emesin, minus adsentiendum videtur atque universe praestabit medicinam, quoad fieri potest, simplicem dare, si consilium sit cardialgiae erethicae mederi.

PLUMBUM.

Saccharum saturni, tamquam antiphthisicum a longo inde tempore percelebre, ab aliis impense laudatur, culpatur ab aliis. Testimonia collegit Richterus, IV. pag. 627 sqq. Colliquationis statum cohibere, ulcerationem mitigare, sudores et diarrhoeam compescere ipsamque febrim hecticam sc-

dare dicitur, vi styptica pariter et sedante. A nonnullis sat magna dosi datum fuisse, neque veneficii symptomata provocasse legitur: quod ab hoc minus, quam ab aliis saturninis metuendum videtur (*). Convenit ulcere atonico, magna sputorum copia prodeunte, sudoribus profusis alvoque liquida: his sub conditionibus saepenumero magno cum fructu praescripsi in pulvere cum opio, neque aliquam inde noxam animadverti: vix tamen ultra duo grana per diem exhibui (†).

An haemorrhagiis contrahendo vasa medeatur, quod conjicit PEREIRA, non facile quis adfirmaverit. In hisce, quia tutiora prostabant, hoc remedio non usus sum. De hoc ipsius usu cf. RICHTER l. l. pag. 635 sqq. Semel tantum, sed incassum adhibui in haematuria haemorrhoidali. An in diarrhoea cruenta aliave prosit, ignoro: ab aliis vario eventu datum est, in ipsa dysenteria, quod tamen, neque immerito, reprobat RICHTERUS cumque eo prudentiores.

Dosis sit a gr. $\frac{1}{4}$ — 1. 2, 4. dd. Alii, dummodo caute, adscendunt usque ad gr. x de die. Quia per opium decomponitur, huic si fieri possit, aut per alias conditiones liceat, acetas morphii praefert

(*) Ipse rem in aegrotantibus meis et expertus et miratus sum, postquam aliorum auctoritate medicorum, majores doses praescripseram.

(†) Postea majori dosi a me praescriptum est idque fructuose.

Phoebus, II. pag. 410. In formulis ab hoc traditis pro vehiculo saccharum lactis video praescriptum, cujus loco saccharum, aut pulv. gumm. posset praescribi aut pulv. g. arab. cum saccharo. Praestat his de die dare, dosi paullo majori, quam parciori et saepius, ut ventriculo otium concedatur et remedio digerendo tempus: quem morem in pluribus consimilibus remediis servare soleo.

FERRUM.

Tria maxime sunt genera morborum, quibus ferrum medetur: chlorosi, lienis emphraxi, et haemorrhagiis passivis; quibus ex quorumdam testimoniis addere oportet helminthiasin et neuralgias. A Melampo impotentiam virilem per ferri rubiginem sanatam esse, Galenum in ulceribus luxuriantibus commendasse, Celsum, Dioscoridem, Alexandrum Trallianum in morbis lienis eo usos esse, ex veterum scriptis notavit Voigtel, IV. pag. 369 sq.; quibus addit Dierbach, crocum martis adstringentem notum fuisse seculo VIII., vitriolum martis seculo XIII., inventum ferri ammoniati tributum fuisse Basilio Valentino, ferrum tartaricum descriptum initio seculi XVII, tincturam Bestucheffii a. 1725, liquorem stypticum Looffii a. 1773 compositum. Mynsichtum cognovisse ferri efficaciam in chlorosi suamque tincturam ferri muriaticam sin-

gulare experimentum dixisse in obstructionibus hepatis et lienis, quartana, cachexia, hydrope, morbo virgineo, mensium turbis caet.

Ex recentioribus in chlorosi potissimum commendavit BRANDIS. Cf. *de Art. Med.* L. II. P. I. pag. 187. coll. c. pag. 184.

Ex praeparatis e ferro simplicissimum est limatura ferri, cui multi hodie substituunt oxydum ferri fuscum, sive subcarbonas ferri (crocum martis aperitivum) quod minus ventriculum molestat atque nuper a CARMICHAEL in carcinomate, ab HUTCHINSON in prosopalgia laudatum est: deinde in aliis quoque neuralgiis adhiberi coepit, eventu vario: unde variorum hujus remedii encomia et vituperia, propter delectum minus magisve prudentem. Cf. *de Art. Med.* II, II. pag. 86.

Nuperrime praeparatum ferri mitissimum lactas ferri sive ferrum lacticum dixit RIECKE, in quod quo facilius in ipso ventriculo mutantur praeparata reliqua, eo majoris efficacitatis esse creduntur. Lactas ferri dicitur ventriculum non molestare inque chlorosi et anaimia prospero eventu adhiberi, ad gr. j in pulvere, pluries de die. Caeterum deest hactenus experimentorum numerus legitimus, ut de salubritate remedii aequum ferri judicium a medicis possit: quocirca praestaret, secundum aliorum praeceptum, a minori dosi incipere a grani scilicet parte octava, aut sexta (*).

(*) Didici enim, haud facile majores doses tolerari ab aegrotantibus

Vitriolum martis laudatur in haemorrhagiis passivis, blennorrhoeis, phthisi pituitosa, helminthiasi, intermittentibus, cum cachexia, enuresi, hydrope, chlorosi. Hujus loci est mixtura Griffithica, cujus novam formulam proposuit Buchner (Richter, V, 59. l. l.) Usu externo ut stypticum adhibetur.

Ferrum muriaticum, murias ferri, adstringens, at mitius dicitur vitriolo martis. Praescribi solet murias ferri liquidum in haemorrhagiis, diarrhoeis typhosis, gastromalacia incipiente, menostasia, ischuria. Ejusdem loci est liq. stypt. Looffii, percelebre et efficax in metrorrhagiis medicamentum.

Ferrum tartarisatum, quo etiam pertinent globuli martiales, in constitutione venosa, hypochondriasi, hydrope, ad diuresin movendam proponitur. Neque vasa incitare, neque alvum stringere, ut reliqua solet, quibus eam ob caussam in stasibus venosis curandis anteponitur.

Flores salis ammoniaci martiales, ammonium muriaticum martiatum, qua compositione ferri cum sale ammoniaco, Richtero interprete, vis metalli adstringens multum mitigatur ac dirigitur in systema mucosum, in intermittentibus quartanariis pertinacibus indeque proveniente hydrope cum cortice laudantur: in menostasia, chlorosi, blennorrhoeis, cum gummi-ferulaceis, castoreo, extractis amaris caet., qualem formulam

crebro expertus sum chloroticis saluberrimam.

Tinct. ferri cydoniata hystericis, hypochondriacis praecipue idonea et chloroticis, digestione debili. Similium dotum sunt vina chalybeata: quorum formulas vid. ap. RICHTER l. l. V. pag. 84 sqq.

Magis analeptica sunt liq. anodyn. martiatus, tinct. nerv. Bestucheffii, cujus historiam vid. ap. RICHTERUM l. l. pag. 86 sq. Est remedium volatile simul et tonicum, praeparatum martiale diffusibile, quod iis etiam, qui alia ferre martialia nequeunt, concedi potest. Praesertim inanitioni ex jactura seminis, paralysi sensuum, impotentiae virili, pollutionibus indeque natis malis opitulari dicitur. Supparis virtutis est tinct. ferri acetici aetherea Klaprothii, quae gratior et mitior. Prior ad abortum praecavendum etiam commendata: saepius tamen ab hystericis et hypochondriacis non tolerari observatum est.

Ferrum hydrocyanicum quaeque reliqua sunt e ferro parata, quia experientia nondum probata sunt, silentio praeteribimus.

Thermae martiales: Pyrmontana, Driburgensis, Spadana, Schwalbuchensis, Kissingensis, Homburgensis ita differunt: ut in Pyrmontana ferrum cum acido carbonico, in Kissingensi et Homburgensi cum eodem salibusque, in Alexensi cum acido sulphurico sit conjunctum. Illae debilitati ex genitali systemate: haemorrhoidariis, scrofulosis; haec haemorrhagiis passivis mederi dicuntur.

Martialia promovere digestionem, augere contractionem, mutare sanguinis crasin peculiari modo, notavit MITSCHERLICH, I. l. l. pag. 295. idque ita interpretatur: ferrum metallicum cum oxygenio conjunctum facere oxydulum, omni corporis loco hanc oxydationem fieri, cum evolutione gas hydrogenii; ferrum oxydatum vero mutari in acetatem, aut muriatem ferri; quod superest, immutabile perstare et ut corpus heterogeneum mechanica ratione agere; jungi vero salia martialia cum albumine, resorberi et per venas in sanguinem duci, superfluum eliminari per urinas praecipue.

Indicari eidem videtur ferrum in atonia organorum digestionis, gastromalacia, diarrhoea, morbo verminoso, chlorosi, amennorrhoea, menostasia, rhachitide, haemorrhagiis atonicis, corpore infirmo, inanito (sulphas ferri) blennorrhoeis atonicis, emphraxi hepatis et lienis, sudoribus atonicis (balnea martialia) hydrope chlorotico, carcinomate, neurosibus cum inanitione, intermittentibus cum emphraxi lienis: limaturam ferri minus augere contractionem; quo plus acidi liberi in ventriculi, ea facilius solvi; digestionem augere, sanguinis crasin corrigere ideoque chlorosi, scrofulosi, rhachitidi mederi, nec non vermibus; dosin esse gr. i—vj 2, 4. dd. cum cinnam. ventriculo debili.

Ferrum oxydatum fuscum in iisdem casibus earumdem dotum est. In carcinomate et neuralgiis dos. gr. v—xx. 3. 4. dd. praescribitur.

Ad mitiora martialia pariter referenda extr. ferri pomatum et extr. ferri cydoniatum. In ferro hydrocyanico et jodato actio ferri fere sola exspectanda est.

Ex martialibus, quae contractionem notabiliter augent, sunt ferrum sulphuricum crystallisatum et ferrum muriaticum. Majori dosi corrodunt ventriculum: praesertim minuit vitriolum martis secretionem intestinalem. Laudatur potissimum in helminthiasi, intermittentibus, haemorrhagiis, blennorrhoeis atonicis. Minus adstringit ferrum muriaticum oxydulatum: in scrofulis, chlorosi, diarrhoeis typhosis, gastromalacia: gr. β—i v. 2, 4. dd., optime in solutione. Ferrum muriaticum supparis virtutis est. Liq. ferri. muriat. oxydati praescribitur gtt. x—xxx. 2, 4. dd. ex vehiculo mucilagineo (*).

Analeptica martialia praebent solutiones salium martialium in alcohole et aethere: actio composita ex alcohole et ferro. Indicantur, ubi cum morbis supra dictis, chlorosi, scrofulosi, blennorrhoeis simul intemperies nervorum debellanda est: ad gtt. x—L. 2, 4. dd.

Tinctura ferri tartarici, praeparatum incertae compositionis, hinc recte absoletum dicitur: vinum chalybeatum convalescentibus ad cochl. i—ij. 2, 4. dd. exhibetur, quia minus turbat digestionem.

---

(1) Si liq. stypt. Looffii praescribitur, dosis sit gtt. v—x ex aqua hordei similibusve involventibus, ne ventriculum offendat.

In ammonio muriatico ferrato composita vis ex ammonio et ferro. Potissimum emendat crasin sanguinis et membranarum mucosarum secretiones: hinc utile in chlorosi cum blennorrhoeis, in scrofulosi, intermittentibus: optima formula mixturae.

Tartarus martiatus cum priori praeparato convenit, quod non facile stringat alvum, nec incitet vasa. Usus in scrofula, rhachitide, chlorosi, gtt. v—x. 2, 4. dd. Globuli martiales, ejusdem generis, in balneis adhibentur.

Thermae martiales differunt copia ferri contenti et acidi adjuncti, sive cum acido carbonico in Pyrmontana, sive cum acido muriatico in Kissingensi, sive cum acido sulphurico in Alexensi.

Apud PHOEBUM inveniuntur formulae ferri oxyd. fusci cum calendula in ulceribus carcinomatosis, sub num. 399: cum cinnam., calam. aromat., rheo, ferri sulphurici crystallis, cum santon., cum galbano, cum myrrha: etiam mixtura antihectica ad Griffithicae normam facta, ex sulphate ferri scr. j, carb. pot. gr. xxv, aq. menth. cr. unc. viij, myrrh. pulv. dr. j c. sacch. alb. unc. β contrit. 4. dd. c., quâ nascitur sulph. potass. et subcarb. ferri vid. II. pag. 211. l. l.

Sulphas ferri cum sulph. chinin. in intermittentibus exhibetur.

DIERBACHIO flores salis ammoniaci martiales sive ferrum ammoniatum, praeparatum habetur perquam varium.

ANTIMONIUM.

Ex praeparatis antimonialibus hodie fere kermes minerale, sulphur auratum antimonii, tartarus stibiatus et vinum stibiatum supersunt, cum reliqua praeparata absoleta haberi possint, uti antimonium crudum, antimonium diaphoreticum caet., quorum illud in morsulis antimonialibus Kunkelii, adversus arthritidem et rheumatismum chronicum, impetigines et scrofulas adhiberi crebro solebat.

KERMES MINERALE.

In morbis pectoris et cutaneis potissimum adfectibus commendabatur. In inflammationibus mirum chronicis, peripneumonia catarrhali, peripneumonia notha, peripneumonia post morbillos, blennorrhoea pulmonum, asthmate humido, oedemate pulmonum, ad expectorationem promovendam. In tussi quinta ab antiquioribus adhibebatur. In aliis: cutis, glandularum, viscerum morbis, quia facile laedit digestionem, minus laudat Richterus.

Dierbachius praemagna dosi in rheumatismo et peripneumonia auctore Toulmouche praeberi posse, animadvertit additque primo inventum a Glaubero, deinde a monacho Carthusiano, tamquam arca-

num, adversus plures morbos celebratum fuisse: febres intermittentes, remittentes, hydropes caet.

Pereira ejus quoque usum memorat in morbis cutaneis et tumoribus glandularum: in hisce tamen casibus, ut recte scribit, cum mercurio, praecipue calom., interdum cum guajaco, narcoticis copulatur: etiam connubia cum camphora, ipecacuanha, senega, pulvere gummoso notat: quibus addenda gummi ferulacea, sulphur, pulv. terrestr., multiplici usu probata. Dosis sit gr. $\frac{1}{4}$ — j et ultra, pluries de die.

SULPHUR AURATUM ANTIMONII.

Hoc antimoniale remedium, ut kermes praescribitur: mitioris tamen naturae est. Ex acutis in inflammationibus mucosae pulmonalis, peripneumonia catarrhali, febre mucosa, ex chronicis in blennorrhoeis, asthmate, scrofulosi, cum mercurio dulci potissimum, tussi quinta, morbis cutaneis scrofulosis, rheumatismo commendant.

Sobernheim ipsum jure summum expectorans dici atque tam in nervum pneumogastricum (vagum) quam in mucosam bronchialem vim suam exercere docet contenditque, pariter ut mercurius, vi peculiari in sanguinem plasticum, sic in mucum plasticum resolvendo agere.

Notavit Dierbach, inprimis a Fred. Hoffmanno

et THEBESIO fuisse laudatum, ad promovendam anacatharsin in catarrho suffocativo.

An verum est, quod perhibet TROUSSEAU, dosi gr. i—ij certius vomitum ciere, quam dosi gr. iv—viij?

A mixtione sulphur. aurat. antimon. cum syrupo facilius gas hydrogenium sulphuratum evolvi et oxydum antimonii formari, acre emeticum, ideoque formulam eclegmatis non commendabilem esse, monet DIERBACH l. l pag. 1149., in nota. Ejusmodi formulam habet PHOEBUS, ex sulph. stib. aur. cum extr. lactucae virosae et syr. senegae, quae eandem ob caussam nequaquam probanda videtur. Magis probanda formula pulveris, quae solet cum pulv. gummos. componi. PHOEBUS sub num. 1030 profert formulam pulveris ex sulph. aur. antim., camphora, sulph. depur. et sacch. alb. Idem vero praecipit eclegma spissius, ex solo syrupo paratum, tuto dari posse. Connubia plura ab auctoribus memorantur: cum merc. dulc., gummi ferulaceis, acido benzoico, morphio, conio maculato, resina guajaci, calendulae officinalis extracto, dulcamara, helenio officinali caet. Cum ipecac. et scilla mihi minus recte copulari videtur: nam inde magnus metus est, ne vomituriat aeger, propter plura nauseosa in unam formulam coeuntia.

TARTARUS EMETICUS.

In morbis acutis, propter citam actionem, optimum stibiatum habet RICHTERUS: in febribus gastricis, gastricis biliosis et rheumaticis catarrhalibus, V. pag. 182 sq.; nec tamen protrahendum ejus usum esse, ne faciat inflammationem chronicam latentem, aut morbum gastricum artificialem. Ex inflammationibus in angina polyposa mitiori, inflammationibus parenchymatosis pariter et erysipelaceis membranosis; in hydrosibus cum diureticis dari, scilla v. c. tumque dosi refracta. Plena dosi irritare ventriculum ad vomitum, simul cum pulsuum depressione. A doctrinae contrastimuli fautoribus nuper ingenti dosi datum esse refert l. l. pag. 189.; quod etsi nonnullis exemplis commendari videatur, tamen quam periculosum sit quamque gravia mala secum ferre possit, compluribus rerum testimoniis ostendit; ut ideo solis gastricis et erysipelatosis adfectibus, pleuritidi, rheumatismo gastrico adcommodatum sit. Idem de curis nauseosis per tartarum emeticum tenendum, quibus uti solent in neurosibus cerebralibus morbisque mentalibus, qui dicuntur, ad excitandum plexum solarem et a cerebro revellendum potenter. Notandum, veteres in iisdem morbis adhibuisse helleborismum. Etiam in aliis neurosibus laudato-

res habuit, nec tamen multos imitatores. Tamquam emeticum praescribitur, ubi prompte atque efficaciter evacuandum, neque superior tantum, sed inferior quoque pars intestinorum eluenda et omne genus nervorum movendum est.

Usus externus ejus est in unguento Authenrietii, qui primum in tussi quinta adhibuit. Tum capitis neurosibus: maniae, epilepsiae, opposuerunt. Praecipue eo usus est JENNERUS, in compluribus multumque diversis valetudinibus, quas per pustulas illas artificiales, variolosis non dissimiles, curare sperabat. Praeterea in enemate nonnulli adhibuerunt: paucis vero hanc praxin imitantibus.

Animadvertit DIERBACH, ab unguento emetico subinde concitari inflammationes internas, ut a magna dosi interna pustulae pharyngis fiunt.

PEREIRA observat, largam tartari emetici dosin sedare circulationem et respirationem.

Dosis remedii sit gr. $\frac{1}{12}$—$\frac{1}{4}$ ut alterantis, gr. iii—iv ut emetici, intra $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ horae partes, ad curam nauseosam gr. $\frac{1}{4}$—$\frac{1}{2}$. In vesaniis saepenumero majori dosi opus est.

Vinum stibiatum, formula remedii praesertim infantibus idonea, in morbis exanthematicis, inflammationibus, catarrhalibus potissimum, ad excitandam cutis functionem, a gtt. i—iv pro infante, ad gtt. viii—x pro puero, et gtt. xx—xxx pro adulto praescribitur.

Si traditiones medicas de tartaro emetico consu-

lamus, videbimus, multiplici usu profuisse: ut evacuans, emeticum, plena dosi datum: ut diaphoreticum, alterans, nervinum, sedans, revellens, derivans, absorbtionem incitans, deprimens irritabilitatem, cohaesioni organicae adversum. Hinc usus in febribus et inflammationibus repetendus, qui nequaquam universalis haberi dicique meretur, verum iis maxime morbis phlogisticis aptus est, qui ex systemate gastrico originem ducunt, aut cum statu gastrico sunt compositi: erysipelatosis igitur et rheumaticis, ubi simul cutis actio sustentanda atque interna excitanda absorbtio est. Neque immerito nonnulli majorum dosium potestatem cum potestate vesicantis cuti admoti comparverunt. Quodsi in neurosibus profuit, profuit revellendo, derivando, aut tollendo gastricam morbi complicationem. Neque tamen reticendum, protracto usu mirifice debilitari adparatum digestionis: immo fuisse, qui scorbuticam exinde diathesin provocatam observarunt, alii qui retulerunt ventriculi, intestinorum phlegmasias, faucium ulcerationes, cordis ipsius eurysmata ex larga dosi hujus emetici provocata: quocirca, ne multorum imitemini temeritatem, juniores vos admonitos cupio.

An dyscrasia antimonialis dyscrasiae mercuriali contraria? An crisin gastricam faciunt stibiata? An nervum vagum potissimum adficiunt? An maxime vegetationem in systemate cutaneo et mucoso inva-

dunt? An in neurosibus iis praecipue conducunt, quae cum cutis et mucosarum aegritudine cohaerent? Num vero praecipua in hisce curandis potestas cum zinci potestate comparanda?

Componuntur cum multis medicaminibus: demulcentibus, sedantibus, narcoticis, amaris, nervinis, mercurialibus, aliis.

MERCURIUS.

Mercurii primus ac praecipuus usus fuit in lue venerea hujusque morbis secundariis, alter in scrofulosi (Gmelin, *App.* P. II. V. II. pag. 57.) tertius in hepatitide Indiae orientalis, hydrocephalo, morbis cutaneis, helminthiasi.

Ex praeparatis primo adhibitum unguentum, translato usu a morbis cutaneis: lepra similibusque ad luem cutaneam; deinde ad alia ventum est. Ex simplicioribus sunt pilulae mercuriales Plenckii iisque adfinis mercurius gummosus. Acer est mercurius praecipitatus ruber, hodie fere tantum externo usu datus. Lenis praeparatio, Hahnemanni mercuriis solubilis. Acer contra mercurius praecipitatus albus, usu pariter externo adhibitus hodie, ad ophthalmiam scrofulosam. Multiplicem mercurii dulcis in aliis etiam, praeter luem, morbis usum jam expositum vid. a Gmelino l. l. De mercurio sublimato corrosivo, cf. id. pag. 242 sqq., commen-

dante potissimum SWIETENIO compositionem cum sp. frumenti, adversantibus aliis.

VOIGTEL primum ab Arabibus medicis adhibitum mercurium refert in morbis cutaneis, deque actione ejus therapeutica plures hypotheses commemorat. Sequuntur praecepta practica. Porro de praeparatis agitur: oxydulis, mercurio solubili Hahnemanni, pag. 349. IV. oxydis hydrargyri, pag. 354 sq. ib. de mercurio praecipitato rubro hujusque usu et abusu in ophthalmiis, pag. 360. Salia mercurialia, ut alia metallica, non memorantur.

RICHTER ung. Neapolitanum ab longo inde tempore adhibitum docet, in syphilide primum, deinde in phlegmasiis membranaceis adhaesivis, tandem in indurationibus, tumoribus, scirrho. Ex mitissimis praeparatis ei habentur mercurius gummosus Plenckii et mercurius solubilis Hahnemanni: relicta tamen eam ob caussam sunt, quia incertae sunt potentiae, nec raro ptyalismum movent.

Ex maxime usitatis praeparatis mercurialibus sunt: mercurius dulcis et mercurius sublimatus corrosivus: quapropter de hisce uberius exponendum est; tum breviter de praeparatis mercurialibus jodatis, nuper in artis usum traductis, praecipue a medicis Francis laudatisque inprimis in complicatione syphilidis cum scrofulosi.

Mercurius dulcis ejusmodi praeparatum est, quod, dummodo ad variam dosin et administrandi rationem animadvertatur, permagnae est utilita-

tis in variis morbis tum syphiliticis, tum aliis, sive acutis, seu chronicis, in quibus mercurii virtus antiplastica requiritur.

Ordiendum igitur ab antiquioribus de re medica auctoribus et ad nuperos descendendum.

Itaque ARNEMANN adhiberi hoc remedium monet, tamquam resolvens, in viscerum obstructionibus, febribus quartanis, indurationibus, morbis chronicis hepatis, cum rheo, scrofulosi, cum antimonio, morbis cutaneis, cum sulph. aurat. antim., camphora, rheo, dulcamara: in hydrope, cum digit. purp., squilla, hydrocephalo (praesertim systema lymphaticum incitare dicitur) in menostasia, febre mesenterica infantum, helminthiasi, dysphagia, ophthalmiis scrofulosis, variolis, arthritide et rheumatismo, hydrophobia, tetano et trismo, phlogosibus, hepatitide, scarlatina, angina membranacea, syphilide, una cum diaphoreticis: opio, guajaco ad praevertendam salivationem, quam prae omnibus praevertunt maxime opium et camphora. RICHTERO praecipiente, in febre typhosa et scarlatina inflammatoriis, ubi metus est encephalitidis, arachnitidis, etiam in febre endemica Bataviae et febre flava salubriter adhibuerunt, et in hydrope post scarlatinam. Ex inflammationibus, praeter arachnitidem et encephalitidem, in peripneumonia, pleuritide, angina, praecipue membranacea, hepatitide, enteritide, peritonitide puerperali, pancreatitide, nephritide, cystitide, erysipe-

late cum alio, tum neonatorum, horumque indu-ratione telae cellulosae, syphilide, partim incitando genus lymphaticorum, in morbo scrofuloso malisque secundariis: in hydrope inflammatorio, impetiginibus: scabie, herpete, tinea capitis. V. pag. 494 sqq. In rheumatismo et neuralgiis, commendante FRANKIO patre aliisque, cum nervinis, ut difficile sit definire, quid in composita formula juverit, in surditate, tetano acuto, chronicis inveteratis, scopo alterandi, ad opii vim sedantem instaurandam, pag. 555. Doses variae: magnae ab Anglis et Americanis, parvae a Francis, Germanis datae: gr. $\frac{1}{2}$—j—ij o. bih. trih.

Pulveres et pilulae Plummeri notantur pag. 560 sqq., mercurius dulcis cum rheo pag. 563., cum jalapp., ad vermes pellendos, cum opio usu ext., in balneis, frictionibus, suffimigiis, lotionibus, unguentis, ac similibus formulis.

DIERBACH notavit, adhiberi, ut purgans anthelminticum, ut derivans antiplasticum, ut antiphlogisticum sedans, ut resolvens, ut alterans metasyncriticum: cum camphora copulari, scopo diaphoretico, II. pag. 1096.

PEREIRA animadvertit, magnam esse opinionum discrepantiam circa dosin: fuisse tamen casus mortis inde provocatae.

PHOEBUS in chronicis dosin esse gr. $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{2}$ 2, 3. dd. secundum PHILIP gr. $\frac{1}{30}$—$\frac{1}{20}$ 3, 4 dd.; in acutis gr. 1—3 o. h. trih. Praeponit in pulv. Plumm. vehi-

culum ex pulv. gumm. prae saccharo. WENDT amylum pro tenellis praefert, ne alvum excitet. Etiam enemata ex eo memorat PHOEBUS et aquam phagadaenicam, ex merc. dulc. et aq. calcis, secundum formulam cl. RUST, II. pag. 288.

MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS.

Potissimum ad syphilidem a SWIETENIO laudatus est: praeter hanc utuntur hoc praeparato medici ex relatione antiquiore cl. ARNEMANNI in impetiginibus, ulceribus scrofulosis, carcinomatosis, arthritide inveterata, amaurosi, prosopalgia.

Praesertim adhiberi in syphilide observat RICHTERUS, sive forma liquoris (Swietenii) eaque varia: sive in pilulis, quod nuper methodo Dzondiana denuo increbruit, pag. 596., cujus censuram vid. pag. 603 sqq. V. ibid.

Ex chronicis commendavit LENTIN in rheumatismo, in ischiade FOTTHERGILL, in hemicrania SCHÄFFER, in impetiginibus HUFELAND, in scrofulosi ALIBERT, in amaurosi LAFONTAINE.

Quoad usum externum, memoratur aq. phagadaen. ex eo parata, pag. 639. l. l.

VOGTIO auctore, indicatur in chronicis inveteratis: lue larvata, adfectis contextu fibroso, osseo, ulceribus phagadaenicis, si aegri in aprico degere debeant, si habitus phlegmaticus. Contraindicatur

erethismo, irritabilitate, constitutione nervea, subphlogistico intestinorum statu, denique habitu phthisico.

Adhibetur autem duabus formulis praecipue: solutionis (etiam cum s. ammon.) et pilularum. A protracto usu dosium refractarum fieri veneficium chronicum, ex compositione, ut videtur, illius cum albumine, fibrina, gelatina: unde hectica et marasmus, observante DIERBACH, qui eapropter aliis anteponi monet, quia non facile salivam aut alvum movet, ac praeterea diaphoresin ciet, interdum diuresin; minus vero adcommodari aegris hecticis, nervosis, in haemorrhagias pronis.

Animadvertit PHOEBUS, II. pag. 275, plerisque substantiis, cum quibus componi solet hoc pharmacum, mutari in calomel, quod notandum in dijudicandis harum compositionum dotibus et usibus therapeuticis. Optime componitur c. amylo., sacch., gummi, succ. liquirit, opio. Cavendum a mucilagineis vehiculis, emuls. amygd., jusc. carn. caet. Solutio a luce amovenda. Dosis est gr. $\frac{1}{10}$ —j, caute adscend. Pilul. Dzond. aliam anteponit formulam cum sacch. et p. alth. aut cum pulv. et succo glycyrrh., sub num. 501 et sq. II. pag. 281.

De protojodureto et deutojodureto hydrarg. cf. RIECKE, pag. 349 sqq. Primum cum mercurio dulci comparatur. Adhibetur a RICORD in syphilide secundaria eaque cutanea, praesertim infantum; ab aliis in scrofulosi tam simplici, quam

complicata cum syphilide, in tumoribus glandularum, sub forma unguenti, tumore albo, neuralgiis, impetiginibus, a gr. $\frac{1}{2}$ — j. Alterum, deutojoduretum scil., sublimato magis adfine, potius usu externo adhibuerunt hactenus: in syphilide, scrofulosi, tumoribus, neuralgiis, impetiginibus, ophthalmiis. Dosis est gr. $\frac{1}{16}$ — $\frac{1}{8}$; maxima vero gr. $\frac{1}{4}$ 2. dd. ex alcoh. aut aethere. Extus forma unguenti gr. vj — dr. vj., pag. 357.

ARSENICUM.

Usus ab antiquo inde tempore externus in cancro exulcerato: internus in febribus intermittentibus (nuper laudantibus Horn, Heim, aliis) et lepra. Solutio Fowleri, quae hoc scopo proponitur, haec est: arsenici alb., carbon. potass. alc. āā. gr. 64., aq. destill. unc. viij: coq. donec solut. sit arsen. add. sp. angel. compos. et aq. destill. q. s. f. colat. unc. xij. Solut. Heimii loco gr. 64. habet dr. j. et unc. j. sp. angel. compos.: dos. a gtt. 5—10 inde ad 12 – 16.

Saepius acuitur vis febrifuga ab opio. Vehiculum sit mucilagineum.

Usus externus potissimum in carcinomate percrebruit. Remedium anticancrosum *Cosmi* vid. ap. Richter, V. pag. 749 sqq. Nuper hoc modo in carcinomate ipso usus est Rust. Ejusdem generis est remedium Hellmundii. Potissimum in

carcinomate cutaneo utile fuit: ast neque certo, neque absque metu morbi recidivi curat, ibid. pag. 701.

JODIUM.

Pertinet ad venena acria atque a medicis inter efficacissima resolventia, aut antiplastica collocatur. Primus ejus usus fuit adversus strumam (Coindet). Praesertim phlegmaticis adcommodatum dicitur. Tum scrofulosin eo sanare conati sunt et scirrhum mammarum et uteri variosque tumores et lymphaticorum adfectus.

Maxime in morbis glandularum adhibuerunt medici, notante Dierbach, *Neuest. Entdeck.*, I. pag. 424.: praecipue ad exemplar doct. Lugol, qui aquam inde mineralem confecit. Alii in hydrope, in phthisi tuberculosa, in syphilide hujusque cum scrofulosi complicatione, in syphilide secundaria potissimum (hydriod. potass.) in herpete, sycosi. In impetiginibus etiam sulphur joduratum usu externo praescriptum est utiliter. In polysarcia nuper et ulceribus scrofulosis. In scrofulosi praecipue, multis testimoniis hujus pharmaci potestas confirmatur. Richter, *Supplem.* pag. 185 sq. Minus fortunata fuere Wutzeri experimenta.

Jodium pertinere ad venena acerrima, quod saepe notabiliter nutritionem laedit, tenendum est:

neque sperat Richterus, hoc remedio posse sanari vitia parasitica.

Riecke commendat compositionem jodii et hydriodat. potass., quia illud solum aqua vix solvitur (addunt alii alcoh., alii sal culin.) pag. 369. Tincturam reprobat. Experimentis Jörgii efficitur: jodium irritare canalem cibarium aliasque mucosas. Mutari videtur, et cum hydrogenio copulari. Probabiliter explicantur experimenta contraria ab eodem, pag. 374 sq. Ex abusu summa macies, tremor, incessus vacillans (Gairdner). In aliis alvum laxat, in aliis stringit (hoc crebrius vidi). Ulcera oris observavit Baudelocque, similia mercurialibus, raro tamen: parca dosi vasa non incitat arteriosa, sed venosa et lymphatica, augendo absorbtionem; atrophiam mammarum concitavit (pag. 383.) et sterilitatem; aliis contra aphrodisiacum visum est (Adelheidsquelle). (Nonne hic constitutio scrofulosa computanda est?) Diuresin incitare creditur hydriod. potass. Aliis color cutis mutari in fuscum fertur, aut oriri exanthemata varia et color capillorum mutari: etiam irritare organa spirandi, concitasse subinde haemoptysin. Antidota esse amylacea, mucilaginea ferunt, et in sanguine et urinis repertum esse.

Caeterum est remedium antiplasticum, quod incitat absorbtionem. In bronchocele sive struma multis testimoniis probatum est: nec tamen semper ei medetur, quare distinguendi sunt illi tumores vere strumosi, ab aliis quibus incassum opponitur,

pag. 390. Potissimum strumae lymphaticae medetur. Casus adhibiti jodii simul cum galvanismo pag. 392. memoratur.

Hypertrophia et induratio scirrhosa, testimoniis si fides habenda, jodio sanata feruntur, quamquam non desunt testimonia contraria. In gonarthrocace aliisque articulorum tumoribus, ipsis tumoribus inflammatoriis, ab aliis celebratur. Minus dubia ipsius in scrofulosi salubritas: ut ab experientissimo medico Lugol efficacissimum habeatur antiscrofulosum. Accedit Baudelocque aliique, nec reticentes tamen remedii ad omnes adfectus scrofulosos sanandos impotentiam.

Utrum in scrofula propria, an mesenterica majoris usus sit, nequaquam convenit inter viros doctos. An in tuberculosi, in phthisi tuberculosa potissimum prosit, hactenus dubium. Nam dum alii morbum eo viderunt mitigatum, alii exacerbatum doluerunt. Emmenagogum dici nequit eo sensu, quo alia. Si hoc titulo juvit, juvasse crediderim emendando habitum scrofulosum. De usu in leucorrhoea par judicium esto deque illius adversus impotentiam aut infoecunditatem efficacia.

Quoad vim antisyphiliticam, monendum est, in complicatione scrofulosa praesertim conspicuam fuisse. In lue secundaria maxime efficax fuisse, numerosae observationes in Anglia et Germania factae testantur. Luxuriante nutritione laudatur, reprobatur deficiente illa. In salivatione mercuriali a

quibusdam utiliter fuit adhibitum. Aliis visum est, vim mercurii acuisse. In stomacace et ulcere noma ab aliis laudatum. In arthritide etiam commendarunt, et in impetiginibus et ulceribus et ophthalmoblennorrhoea et hydrope vario, potissimum additis diureticis: in hydrocele, hydrocephalo, ascite, ex vitiis organicis viscerum abdominalium, hydrope ovarii, hydrothorace, celebratum est. In neurosibus: epilepsia, chorea, paralysi, paraplegia, hemiplegia excitando resorptionem; in typho denique eo usi sunt feliciter.

Optima administrandi methodus videtur in solutione, addito sale culinari, aut hydriodat. potass., dosi gr. $\frac{1}{6}$—j. et hydriodat pot. gr. 1—5. pluries de die. Formulas Lugol vid. ap. Riecke, pag. 414. Media haec est: jodii puri gr. j., hydriod. pot. gr. ij., aq. destill. unc. viij. (4. dd. c.). et ung.: jodii gr. xij., hydriod. pot. ℈ iv. ad ung. unc. ij.

Phoebus monet, remedii externo usu fusco colore tingi cutim, quod in curatione matronarum probe notandum. Aqua vix solvi; solvi aqua, quae continet hydriod. pot., nec non alcohole et aethere. Vehiculum optimum esse aquam saccharatam, decoct. sem. lini, tenuem solut. gummos. Dosin esse gr. $\frac{1}{6}$—j. 2, 3. dd., in ung. gr. viij. ad unc. β. axung. Dos. hydriod. potass. gr. ij—vj. 2, 4. dd.; ung. ℈ β. ad axung. unc. β. Cf. *de Art. Med.* L. II. P. I. cap. de morbo scrofuloso, pag. 295. ibique citatus Baudelocque.

Ultimo notandum, maxime fortunatas curationes jodio perfectas, partim stricto regimine tenuique diaeta fuisse peractas, quibus ex fonte diaetitico petitis auxiliis non minor fides habenda, quam virtuti therapeuticae jodii et ex jodio paratorum medicaminum: tanta quidem. ut dubium sit, utrum medicamento, an victus regimini potior pars curationis sit adscribenda: neque infitiandum, neglectis legibus diaeteticis parum emolumenti ab jodio exspectari posse. Nam nisi medicatio et diaeta consentiant, non tantum hujus, sed aliorum quoque quorumcunque medicaminum administratio frustranea erit.

DE REMEDIIS COMPONENDIS.

Expositis singulorum remediorum dotibus, sequitur, ut de iisdem componendis videamus. In experimento sane probanda simplicitas. Nec tamen in morbis curandis simplicitas magis, quam efficacitas remedii optatur. Neque ipsa, quae simplicia vocantur remedia, tam simplicia sunt, quam vulgo creduntur. Nam rara sunt medicamina, quin pluribus principiis iisque saepenumero diversissimis instructa sint. Principium mucilagineum cum adstringente, adstringens cum cardiaco, tonicum cum narcotico, narcoticum cum acri, acre cum amaro saepius in pharmacis juncta sunt: immo plura simul principia eodem medicamento continentur. Has compositiones naturales ars imitari docet, in magnum aegrotantium emolumentum: quod ut bene atque utiliter fieri possit, proderit de hâc arte componendi dotes therapeuticas, in altera hac operis parte praecipere.

DE REMEDIORUM DEMULCENTIUM CUM ALIIS COMPOSITIONE.

Remedia demulcentia sunt cum amaro, adstrin-

gente, narcotico, acri principio saepius composita, sive naturae beneficio, sive artis opera. Prioris compositionis exemplum est in lichene islandico, in columbo radice; alterius in pluribus herbis ita dictis pectoralibus; tertiae in papavere somnifero; quartae in polygala senega: dum in arnica montana principium aethereo-oleosum cum principio acri est copulatum; qua copula principium aethereum principio acri ad sphaeram plasticam detrahitur, aut principium acre principio aethereo ad sphaeram animalem evehitur: neque enim video, cur si priorem Vogtii conjecturam amplectamur, alteram non admitteremus: praesertim horum florum in morbis cerebri et medullae spinalis plasticis cogitantes, ab antiquioribus celebratam potentiam.

In connubio principii amari et gelatinosi, quale est in lichene islandico, egregium habetur remedium phthisis gastricae. Caeterum principium mucilagineum ad mucosam, amarum ad musculosam intestinorum tunicam videtur revocandum et quemadmodum posterius adpetitum movet, sic prius corpori nutriendo materiem praebet idoneam.

Ad demulcentia pertinent praeter gummosa mucilaginea, gelatinosa, oleosa, saccharina; quae tum secum invicem, tum cum aliis diversimode misceri solent: idque non inutiliter, si verum est, alia ad mucosam intestinalem, alia ad mucosam pulmonalem, ad mucosam uropoieticam, ad mucosam hepaticam alia majorem habere relationem: quemad-

modum prius verbo subindicavimus: esse nempe, quae per hepatis colatoria excernantur, qualia oleosa, esse quae per urinae vias, aut ab addito asparagino eo ducantur, quales althaea, liquiritia, inque ipsas harum partium haemorrhagias sistendas vim habuisse legantur: qualem mannam SYDENHAMUS in semet ipse expertus est: quod si albumen ad componendum acidum lacticum, hoc ad decomponendum corpus factum sit, novum inde suboritur de hisce meditandi argumentum. Praeterea inter haec purgantia habentur eccoprotica, qualis manna est ipsumque mel: quorum illud cum oleosis crebro utiliter copulavi et mucilagineis, ipsisque opiatis narcoticis. Quantae sint oleosorum cum opio in spasmis domandis virtutes, HAENIUS aliique ex majoribus abunde docuerunt: emulsiones amygdalinae ad dolores post partum, emulsiones cannabinae in ischuria, ictero, emulsiones papaveraceae in erethismo nervorum pectoris, saepius medicis experientia comprobatae sunt. Laurocerasus, hyoscyamus nonne pro vario medentium consilio utiliter demulcentibus adduntur? Nonne ipecacuanha, aut zincum, aut bismuthum, aut plumbum, aut ferrum, aut stibium, aut hydrargyrum? Quibus connubiis sive mucosa intestinalis ab acri stimulo metallico defenditur, sive ipsis demulcentibus adsociatur remedium antispasmodicum, adstringens, anacatharticum, absorbens. Ab addita gummosis ipecacuanha, in alvi profluviis saepius impetravi, quod ab

solis hisce impetrare non potui. Per conjunctas ferri et lacticiniorum potestates BOERHAAVIUS noster hecticam in juvene nobili, illustris gentis prole, sanavit, quae per singulas erat incassum oppugnata. Terrestrium et mucilagineorum salubris in pyrosi, cardialgia, vomitu, diarrhoea copula, vel vulgo notissima est. In alvi fluxu chronico pulveris saleb cum catechu: in cardialgia spastica cum mucilagineis, cum terrestribus bismuthum utile saepenumero experti sunt medici. Ex adstringentium cum gummosis compositionibus commemorandum est infusum rosarum rubrarum cum pulvere saleb, aut pulvere gummi arabici, decoctum althaeae officinalis cum cortice peruviano, infus. hederae terrestris cum pectoralibus, emulsio amygdalina cum extracto corticis peruviani, cum catechu: quibus crebro utuntur practici.

Acrium et demulcentium connubia crebra sunt: senegae cum liquiritiae succo, arnicae cum altheae syrupo, purgantium cum oleosis: qualis in oleo ricini habetur exemplar, a natura propositum; quod HUFELANDUS, componendo oleum crotonis cum oleo papaveris albi imitatus videtur. Gummi ammoniaci compositionem cum larga succi liquiritiae copia ipse saepenumero in chronico catarrho, asthmate, hydrothorace utilem expertus sum.

Acidorum cum saccharinis, cum melle in oxymelle, oxysaccharo connubium notum est.

Ex phellandrio cum liquiritia, cum pulvere gum-

moso, aut cum decocto lichenis carachenici, islandici efficax paratur pulmone aegrotantibus medicina. Sulphur cum liquiritiae, cum gummi arabici, cum tragacanthae pulvere, aut cum lacte utiliter praescribitur. Inter semina calida, quae vocari prius solebant, foeniculum cum pulvere gummoso, cum liquiritia, cum sulphure, cum senna in celebri formula pectorali praescribi solebat: ex pulv. liquiritiae, folior. sennae, flor. sulphuris, semin. foeniculi parte unâ et quatuor partibus sacchari.

An mos medicorum probandus est, mixturis, infusionibus, decoctis syrupos, pulveribus saccharum, aut pulverem gummosum, aut liquiritiae addere, dubitari juremerito posset, si cogitemus: primo mutari haud raro hisce additionibus compositionem remediorum chymicam non tantum, sed etiam pharmacodynamicam; secundo saepe etiam promoveri fermentationem spontaneam; tertio nec semper corrigi saporem. Cum lichene islandico aliisque pectoralibus utiliter componi poterit liquiritia, vel decoctum hujus lichenis cum lacte sumi: vel alia amara, cort. peruvian., vin. amar. cum vino albo, vel denique saccharum saporis gratia ex tempore addi sicque vitari vulgaris iste syruporum quibusvis admiscendorum mos ac modus.

DE AMARORUM ET AMARICANTIUM CONNUBIIS.

Principium amarum, cetrarinum cum amylaceo so in lichene islandico conjunctum esse, cumque mucilagineo in columbo radice, cum acri in sarsaparilla, animadvertimus.

In aliis cum adstringente, cum volatili, cum narcotico jungitur: ut in hisce etiam connubiis faciendis nobis natura exemplar proposuisse videatur, quod imitemur, dignissimum. Verum de singulis videamus.

Alia amara pura, alia salina vocantur. In salinis vis pharmacodynamica duplex: altera in mucosam, per principium salinum, in musculosam tunicam altera, per principium amarum; quae ratio est, cur antiquiores medici ab evacuante medicina ad roborantem procedentes, per amaricantia, amara resolventia ad tonica, amara pura transire solebant.

Amara salina illud peculiare habent, quod uti per principium amarum tunicam musculosam irritando in motus peristalticos alacriores cient, ita per principium salinum mucosam ad secernendum incitant: duplex igitur systema intestinale: mucosum et musculosum actione sua comprehendunt, quod in formulis concinnandis probe tenendum est: tertium serosum aliis medicinis tentandum: mer-

curialibus, sale ammoniaco, senega, arnica, baryta similibusque acribus, antiplasticis, vel etiam exsiccantibus, absorbentibus, calcareis, saturninis caet.

Componuntur amara cum adstringentibus, sicubi non tantum ventriculi et intestinorum tonum, verum praeter hunc et reliquum corporis habitum emendare animus est. Natura in cinchonis utriusque principii copulae exemplum protulit: quod majores in arte sua cogitasse atque tentasse videntur, nec semper incassum.

Inprimis vero celebranda est amarorum cum martialibus compositio: qua simul prima officina, simul sanguis roboratur et instauratur. Gentiana, absynthium ipsaque cinchona, sive ex hac ducta alcaloidea sic aegrotantibus praescribuntur cum martialibus: sive thermis, seu chymico-pharmaceuticis praeparatis, ut cachexia febrilis et emphraxis lienis et sanguinis crasis corrigantur: cujus generis laudabile connubium est in ferro sulphurico et chinino sulphurico conjunctis.

Etiam cum amaris copulantur volatilia, analeptica: nec desunt exempla hujusmodi compositionis naturalis: in absynthio, calamo, aurantio, cascarilla. Artificialis exempla obferunt tincturae vinaque amara, quibus pharmacopolia abundant. Hâc compositione et partes irritabiles et partes sensiles excitantur: emendantur nervorum animalium neuroses, quarum ex prima officina principium ipseque

nervorum splanchnicorum torpor, sive narcosis excutitur. Nititur hoc principio amarorum cum menthâ, corticis peruviani cum analepticis, cum aetheribus, cum calamo, cum cascarilla, cum aurantio, cum valeriana, cum serpentaria compositio.

Acria, neque inutiliter, cum amaris conjunguntur, sive in peculiarem officinam dirigenda ipsorum potestas sit: in ventriculum, quod per ipecacuanham, in duodenum, quod per rheum, in crassa et rectum, quod per aloën fit: in officinam uropoieticam, additis diureticis e scilla, colchico, juniperо; in cutim, additis diaphoreticis: sambuco, bardana, dulcamara, acetate ammoniae, pulv. Dover., sulphure caet.; in genitalia, additis emmenagogis, aphrodisiacis: myrrha, croco, cinnamomo, sabina ipsisque aloëticis unaque martialibus et gummi ferulaceis: quae amarorum et acrium connubia magni praesertim usus sunt in scrofula mesenterica, praecipue adultorum; in medullam spinalem per arnicam, nuces vomicas, amaris additas, quorum hae ipsae hujus connubii exemplum proferunt, a natura ipsa propositum; in cerebrum et nervos sensuum, per narcotica ab una et per analeptica nervina: valerianam, moschum, camphoram, ab altera parte. Quas vires specificas organicas, si adcuratius haberemus perspectas et cognitas, rectius administrare possemus et fructuosius, ubi et morbus expugnandus et totus simul corporis habitus alte-

randus sit, aut emendandus: quo ultimo consilio cum singulis ad singula organa directis remediis componimus nutrientia, roborantia, acria.

Exemplum remedii amari simul et narcotici habetur in dulcamara. In formulis haec conjunctio cernitur in decocto radicis columbo cum opiatis, in lienteria quandoque salubris. Magis composita medicina est in decoct. cort. peruv. aut lichen. islandici cum aqua laurocerasi, in hujus, aut cicutae cum amaricantibus, amaris compositione, vario medendi consilio, nec facile, nisi in singulis casibus explicando. Similiter rheum cum laudano praescribitur: de qua praescriptione deinceps videbimus. Amara quoque cum alcalinis, calcareis, terrestribus componuntur, in vino amaro alcalisato, in pulveribus antacidis, in decocto corticis cum aqua calcis: ubi sive arthritica, seu calculosa subest in corpore diathesis, seu tandem in ulceratione renum et vesicae chronica, inque phthisi renali, aut vesicali; quum in officinam uropoieticam tonicorum actio dirigenda est. Cum remediis metallicis variis varia amara varioque fine conjungi possunt: de qua conjunctione seorsum agendum est. Et primo quidem loco de ferro, tum de stibio, denique de mercurio cum hisce conjungendo.

Quando simul intestina, simul sanguis roborandus est, amara cum martialibus copulantur, in dyspepsia atonica chloroticarum feminarumque blennorrhoeis atonicis, in helminthiasi, in haemorrhagiis

atonicis, anaimia, tabe dorsali, ubi cum cascarilla, cum cinchona, cum aurantio alternis vicibus e ferro parata administrantur, et digestionem et sanguificationem instaurandi consilio. Nam ut musculosam intestinalem amara, sic sanguinem roborant martialia. In scorbuto cum amaris acida acriave antiscorbutica exhibere solebant medici, quae certe copula, ex numerosa medentium experientia et observatione, majoris usus est, quam amarorum et martialium, quam laudare videtur MITSCHERLICH; nam alia est dyscrasia scorbutica, alia chlorotica, et alia utriusque sunt remedia: martialia rari sunt scorbutici, qui aut requirant, aut ferant; amara in scorbuto tunc tantummodo indicantur, cum digestio laesa fuerit, quod in hoc morbo non ita crebro evenire, norunt practici.

Cum stibio jungi amara consueverunt, magis ad corrigendam illius potestatem noxiam in ventriculum et intestina, quam ad scopum aliquem peculiarem therapeuticum. Quodsi tamen reputamus, in alia elementa organica stibium, in alia rursus amara pertinere, utilior forsitan et efficacior fieri posset haec conjunctio tumque praecipue, sicubi morbus scrofulosus in prima officina sedem fixerit, aut cum morbo verminoso, pituitoso fuerit complicatus. Mercurius cum amaris in complicatione syphilidis cum atonia gastrica et intestinali indicari, quibusdam videri posset: quo consilio subinde corticis peruviani in decoctis lignorum ad-

ditionem proponi novimus. Magis cum Plummeri formula componere amara placet in scrofula mesenterica adultorum inque scrofula cutanea cum statu gastrico: in quibus tamen compositionibus faciendis caute discernendum est, annon gastrica subsit irritatio, aut occultus processus phlogisticus, quae sub debilitatis larva toties medicis imponunt. Eadem opus est cautione in jodii praeparatis cum amaris tonicis copulandis: siquidem alterius remedii noxas alterum vel augere, vel occultare posset ipsaque amara diutius administrata ipsos nervos laesisse et paralyses provocasse leguntur, cum aliarum partium, tum nervi optici: quemadmodum auctore ac teste peritissimo et gravissimo Beerio docemur, qui inter plures amauroseos caussas etiam recensuit horum medicaminum abusum. Caeterum notari meretur, tincturas, elixiria, vina amara saepenumero peccare nimia compositione: ex illis tinctura composita Whyttii reliquis antecellit eleganti simplicitate. Minus placet tinctura rhei amara, quae apud Phoebum prostat II. pag. 557. An probanda est formula elix. visc. Hoffmanni, quae etiam extracta continet vino soluta? Nonne universe praestaret tincturam aliquam simplicem adhibere sive gentianae, sive quassiae, sive aliam id generis? sique aromatica simul quaerantur, praescribere tincturam cort. aurant., quae plura habet prae aliis commendabilia?

ADSTRINGENTIUM REMEDIORUM CUM ALIIS CONNUBIA.

Crebra amaricantium et adstringentium connubia esse supra vidimus, quorum exemplum naturale obfert cinchona. Cum mucilagineis pariter crebro conjunguntur: catechu cum gummi arabico v. c. fol. uvae ursi cum eodem, infus. rosarum rubrarum cum pulvere gummoso, aut saleb: decoctum cort. peruviani aut salicis alb. cum althaeae radice, cum lichene islandico: quo principium amarum simul additur, emuls. amygd. dulc. cum elect. catechu: quae magis composita formula est, aut cum extr. cort. peruv. caet. Quibus connubiis non tantum id spectat medicus, ut corrigat adstringentium dotes eorumque vim mitiget, verum etiam, ut et tonum partium augeat et nutriat simul, quod corpore laxo simul et parum nutrito prodesse potest. Praecipue vero notandum est connubium adstringentium cum acidis mineralibus, utilissimum ac saluberrimum ad dyscrasiam scorbuticam emendandam et sistenda sanguinis profluvia passiva. Hoc consilio cum decocto corticis peruviani, aut salicis tinctura acida aromatica, elixir. vitrioli Mynsichti similiaque componuntur, aut infus. rosarum rubrarum instillatur spir. vitrioli, sive ad gratum saporem, sive majori dosi ad saporem acidum. Supparis usus est claretum refrige

rans Pharmac. Hagan., quod ex cons. rosar. rubr. aqua subacta et soluta constat, addito acid. sulphurico diluto: potio haemoptoicis, hecticis, relaxato vasorum tono nullaque praesente conditione phlogistica, gratissima simul et saluberrima: qua aestum febrilem temperare, sanguinisque orgasmum cohibere medicis antiquioribus toties licuit, quaeque hodie nimium forsitan propter inflammationis latentis metum damnatur, aut negligitur: quamvis ab altera parte fatendum sit, frequentem hujus clareti similiumque abusum fuisse, per eos, qui methodum nescirent. Nempe, vigente renisu vasorum statuque phlogistico una cum sanguinis deplet ionibus praescribere infus. rosar. rubrar. aut claretum cum sp. vitrioli, est uti remediis contrariis, sibique plane oppositis. Quodsi vel cum orgasmo atonia sit, vel hectica ulcerosa corporis vires pessumdet sanguinisque crasis vitietur, aptus erit talibus remediis locus: quod nemini mirum esse poterit cogitanti, quantopere per phthisin ipsam haematosis laedatur.

Narcoticorum cum adstringentibus compositio est in elect. catechu: ad alvi profluvium atonicum sistendum aliasque aliarum mucosarum blennorrhoeas moderandas salubri medicina. Eodem consilio cum pulv. fol. uvae ursi opium praescribitur, in blennorrhoea vesicae inque phthisi renali ulcerosa, sub pari tamen cautione, vitando scilicet, ne praesente phlogistica profluvii ulcerisve conditione, adhibea-

tur: quod magnum profecto in medico artifice requirit judicii acumen.

Ex adstringentibus cort. cinnamomi haud raro reliquis additur, qui per oleum aethereum simul analepticum est nervinum, tum maxime proficuum, quum nervis quoque languentibus prospiciendum sit. Eodem fine cort. cascarilla, cort. aurant., rad. calam. arom. adstringentibus adduntur: quando simul et adstringendum est et excitandum, tono partium relaxato nervisque torpentibus aut paralyticis, sive principii coriarii efficacitate vitae animalis organa sint instauranda, sive per oleum aethereum vitae plasticae nervi refocillandi sint, seu denique legitimum inter vasa et nervos aequilibrium sit restituendum. Nam in omnibus hisce casibus utriusque principii et adstringentis et volatilis conjunctio indicabitur: nec raro hisce denique amarum addunt, quando prima officina ejusmodi additionem postulat. Nec desunt exempla sive ipecacuanhae, sive rhei adstringentibus adjecti, quo major medicinae in ventriculum, aut intestinum tenue potestas sit (*). Saepenumero cum cons. rosar. rubr. elect. catechu componitur, cui subinde additur gelat. lichen. island. in blennorrhoeis chronicis mucosae pulmonalis, intestinalis, vesicalis, vaginalis, urethralis percelebris remedii formula.

(*) Ad aetherea adstringentia a SOBERNHEIM cum alia, tum rosa rubra refertur. l. l. II. pag. 407.

Cum resinosis, potissimum myrrha, conjunguntur adstringentia, usu tamen magis externo, quam interno, et cum acribus in decoctis lignorum aliisque.

Martialia, quae hujus loci sunt, cum mucilagineis, cum amaris, cum aliis adstringentibus componuntur et quidem salubriter, si cachexia chlorotica, hydropica, febrilis corrigenda. Notissima est mixtura Griffithica, cujus prius mentionem fecimus, et pulveris formula ex vitriolo martis et pulv. myrrhae, et pilularum ex eodem et gent. extr., et connubium aloës, myrrh., g. ferulaceor. aliorum cum ferri praeparatis: quibus, ex mea experientia, addere oportet, croci martis aper. sive carb. ferri cum rheo, cum amaris compositionem, neuralgiis chloroticarum sedandis aptam, iis nimirum, quarum sedes est in ventriculo, aut intestinis.

Martialium cum febrifugis unita potentia opus est ad lienis emphraxin solvendam, quae crebro febrium intermittentium sequela est: qua composita formula impetrari poterit, quod a simplici frustra exspectaret medicus. Est enim ferri peculiaris ad lienem ratio, ab antiquis jam medicis animadversa, et a recentioribus confirmata: quemadmodum in libro *de Arte Medica* indicavi.

An ex composita formula amarorum adstringentium et aromaticorum haberi posset febrifugum, Americano aequale hujusque succedaneum, dubitari licet: quoniam in ejusmodi formula alcaloideum non haberetur, quo propria virtus febrifuga vide-

tur contineri. Interim cum salicis cortice componendo cortices aurantii et rad. calam. aromatici existit remedium, ad plures intermittentes oppugnandas procul dubio efficacissimum. Similiter forsitan salicina cum amaris et aromaticis conjungi posset: cum pulv. cort. aurant. aut cascarillae, formula majoris potestatis, quam formula simplex ex sola salicina, quam toties inefficacem expertus sum. Certe optandum foret, ut haberemus remedium, quod belli tempore cinchonae exoticae vires supplere et pauperioribus quoque opitulari posset. Decoct. salicis alb. cum cascarill., cum cort. aurant., cum rad. calam. aromat., addita in pulveribus salicina hoc consilio periclitari, fortasse haud inutile fuerit.

Porro in miscendis adstringentibus cum aliis medicinis specificae, id est organicae singulorum potentiae rationem habere oportet: siquidem alio consilio cum cortice peruviano valeriana, alio cascarilla, alio calamus aromaticus copulatur similiterque cortex salicis cum iisdem, cum cinnamomo, cum Winterano, cum elixirio Mynsichti acido, cum myrrha et catechu, cum flor. rosarum hujusve conserva miscetur: in quibus cunctis concinnandis, qui pharmacodynamicen consulat, in arte fortunatum habiturus est eventum: nec dubitamus, quin quarumdam formularum jure celebratarum potentia hac ipsa felici dotum universalium cum dotibus specificis organicis unione nitatur; quod, ut ingenio

perspexit PARACELSUS, sic prae contemptu viri, tam grandiloquentia, quam obscuritate sermonis, barbarie, audacia, temeritate, multis odiosi, nimium neglexerunt posteri.

DE REMEDIORUM ACRIUM CUM ALIIS COMPOSITIONE.

Ex acribus sunt senega, arnica, pleraque emetica, cathartica, diuretica. Ea cum variis medicinis copulantur: cum demulcentibus, amaris, adstringentibus, narcoticis, nervinis. Senega cum sal. ammoniac. g. ferulaceis, ammoniaco praesertim, arnica cum cort. peruv., cum aethereis alcoholicis, oum liq. c. c. succin., emetica et cathartica cum opiatis, cum amaris, diuretica cum hisce et narcoticis, cum oleis aethereis, cum adstringentibus interdum sociantur. Senegae complures formulas habet SOBERNHEIM, minus probandas. Vulgo melius sine additamentis praescribitur, cum rad. liquirit. tantum; quodsi in pulmones dirigenda actio est, flor. benzoës, si in mucosam intestinalem, aut genitalem, g. ammon., rad. helen., si in officinam uropoieticam, scilla aut digitalis adduntur: in quibus copulis ne acria addita ventriculum offendant et nauseam moveant, caveatur.

Similiter arnica cum pluribus incongruis in formulas coit, a cl. SOBERNHEIM propositas. Ex quibus

tamen retineri debet formula flor. arn. c. aeth. nitr. alcoh. et c. liq. c. c. succin., nec non rad. cum columbo, aut cascarilla.

An valeriana recte arnicae addatur, an camphora, an as. foetid., ex medendi consilio et aegrotantis corporis constitutione demum rite effici potest. An probanda est thea pector. ex arn. flor. aliis additis?

Ipecacuanha cum rheo, cum amaris cum gummi ferulaceis praescribitur in scrofula mesenterica adultorum: an recte, an secus, disputari utique posset. Virtus hujus formulae pharmacodynamica illa est, ut secretionem intestinalem mucosam promoveat, motum peristalticum acceleret, nervos splanchnicos potenter incitet, vitaeque plasticae torporem excutiat, inque genus lymphaticorum usque ejus actio pertineat. Interim tamen monendum, me saepius solo g. ammoniaco cum liquiritiae succo scrofulam mesentericam oppugnasse feliciter, nec opus habuisse ad compositam istam formulam transire.

In morbo scrofuloso salubre connubium rhei et mercurii, purgandi fine, interdum jalappae et mercurii cum in hoc, tum in morbo verminoso: quo vis cathartica mirifice acuitur ipsaque in lymphaticorum et glandularum aegrotantium medicinam evadit, aut mutatur.

Electuaria anthelmintica Störckii et Bremseri nobis exempla praebent formulae catharticae et

anthelminticae compositae et mucosam et nervos intestinorum alterantis et per hos ipsam vitam plasticam.

Quemadmodum rheum tenui; sic crasso intestino torpenti aloë prodesse fertur. Eam cum myrrha et croco componunt, cum ferro etiam, tam ad haemorrhoïdes, quam ad menses pellendas. An hae formulae pharmacodynamices regulis respondeant rogatur: saltem saepenumero iis abusi sunt practici.

Sennam cum aliis catharticis conjunctim praescribere solent practici et cum eccoproticis: minus recte tamen cum rheo; an rectius cum sulphure? Hujus formulae exemplum habetur in ea, qua in catarrho chronico utuntur Germaniae medici, ex pulv. fol. senn., flor. sulph., sem. foenic., pulv. liquir. et saccharo, laudata prius.

Ad acria etiam diuretica plura referunt: squillam marit., colchicum autumn. caetera, quorum formulae simpliciores eapropter compositis praestant, quia minus omnium cognita ipsorum efficacitas est: hinc adcuratius exploranda. Ex remediis, quae cum scilla componuntur, maxime usitatum est g. ammoniacum, alii in pilulis saponem addunt, alii amara, alii denique pulveribus ex scilla nunc opium, nunc cinnamomum adjungere solent, partim corrigendi ipsius acrimoniam, partim adjuvandi ipsius potentiam studio. Saepius tamen ejusmodi additamentis virtus remedii frangitur, aut alio du-

citur: ut non mirum sit, toties fallere.

Universe ipsa acrimonia hujus generis medicaminum suadere videtur in praescribendis acribus simplicitatem: praesertim ea vitanda sunt, quae possent, nervis sopitis, impedire, quominus eorum stimulum sentiant partes. Quamobrem raro, nec nisi omnibus rite perpensis, opiata iis addere suaderem: sique umquam minutae ac refractae doses magnis et plenis praeponi merentur, in hisce certe acribus illud fieri oportet. Nam si irritando vellicent ventriculum et intestina, frustra ab iis eas actiones expectabitis, quas speratis; quandoquidem ne vires dotesque suas in aliis etiam organis explicare possint, impediuntur. Squilla exemplo esse poterit, quod ubi vomitum facit, diuresin non excitabit. Par ratio est virtutum diaphoreticarum, expectorantium, alterantium, quas ipsa drastica, suspensa manu adhibita, saepius exseruisse feruntur.

Hoc modo, id est suspensa manu porrecta, subinde, ubi opus est, facilius ac tutius a formulae simplicitate paululum recedere poterit medicus, adjiciendo ea, quae in peculiaria organa medicinam dirigere possent: in ventriculum, hepar, duodenum, rectum, renes, genitalia, pulmones, caet. Haec pars pharmacodynamices uti parum hactenus culta est, ita medici practici animadversione perdigna, majori studio coli meretur.

Porro tenendum est, non tantum parce, sed etiam magno temporis intervallo interjecto, haec

acria danda esse, aut semel, aut bis, aut ad summum ter de die et quidem ventriculo intestinisque non vacuis, sed plenis, tam ne laedant irritando, quam, ut cum chymo mixta cumque chylo sanguinem subeant: nonnumquam etiam somni tempore, quo melius subigantur.

Ad quas parciores doses commendandas quoque notari meretur, saepenumero in urinis aliisque humoribus excretis reperta esse pharmacorum superflua principia, quibus ostenditur, nimis larga dosi fuisse propinata, ut ex corpore eliminari debuerint. Quod tum praecipue animadvertendum, si consilio alterandi fuerant praescripta, aut a solo nervorum contactu actionem dynamicam medicus exspectat. Hoc pacto ipecacuanha interdum praescribitur dosi gr. $\frac{1}{12}$, $\frac{1}{8}$, neque inutiliter, dummodo pharmacopoeus pulverem parat recentem, neque ut fieri solet, inertem. Similiter rheum, senna, aloë, jalappa, colocynthis praescribi possent, non quidem homoiopathica, sed tamen parciori longe, quam vulgo praescribuntur, dosi minusque ab acribus venenatis noxae metuendum foret. Quod autem vel parcissimae doses juvare possint, docet camphora, moschus, alia, quorum vel sola aura sufficit nervis componendis; docet tart. emeticus quodque ex eo componitur, vinum stibiatum; docere quoque alia possent, si placeret medicis horum experiri vires, in talibus dosibus exiguis propinata. Neque in his desideramus naturae exemplar, quae

in thermis componendis crebro plurima miscuit mira parcimonia, nec parva tamen virtute therapeutica. Comparate quaeso non salium duntaxat, non jodii, in aquis mineralibus solutorum, sed ferri in thermis martialibus paucitatem cum horum medicaminum dosibus vulgaribus in formulis medicinalibus et mirabimini mecum, tam exiguarum dosium in remediis ab ipsa natura paratis potestatem. Quodsi cui vestrum videbitur harum thermarum potentia aliis longe conditionibus: aëri, vitae generi, diaetae, peregrinationi, rusticationi, motui adscribenda, cogitet quaeso aquarum mineralium domi ab aegro potatarum vel thermarum artificialium ad normam naturalium compositarum efficacitatem.

Et quemadmodum haè thermae haud raro maxime compositae sunt, sic possent ab hac parte etiam normam dare medicis, compositas formulas concinnare cupientibus: sed haec hactenus.

Quaeritur, qua demum forma praescribi debeant acria, an pulveris, infusi, decocti, pilularum, tincturae. Neque inanis profecto haec quaestio est. Quodsi in ventriculum actio postulatur, pulveris formula aptior, si in intestina, pilularum: interdum cuti applicanda, interdum recto injicienda, interdum lotionibus addenda, aut balneis: quorum singulorum delectum in singulis casibus facere medici erit prudentis cunctaque et singula rite ponderantis, ne recte praescripta medicina, quod male

fuerit administrata, spem fallat. Exemplo sit ung. aloës cum petroleo, arthanitae vocabant, quod abdomini illinitum verminosis profuisse legitur, sive morosis aegrotantibus, seu ventriculo intestinisque imbecillioribus: et clysteres ex allio, quibus fortunatius, quam remediis ore ingestis; ascarides expugnari, multiplici experientia didici.

DE NARCOTICORUM CUM ALIIS REMEDIIS COMPOSITIONE.

Narcotica praecipua, de quibus hoc loco sermo erit, sunt laurocerasus, hyoscyamus, opium, belladonna, digitalis, cicuta, aconitum, stramonium, nuces vomicae.

Saepius cum demulcentibus, mucilagineis, gummosis, emulsionibus oleosis, saccharinis componuntur, ex quibus componendi modis praesertim opii et opiatorum cum oleosis, ad spasmos sedandos compositio notanda est: de qua prius copiose disputavimus.

Cum amaris in nuce vomica miscuit natura acre narcoticum: narcoticum et acre conjunctum est cum in aliis, tum in digitali purpurea.

Inprimis vero laurocerasus memorandus, cujus aqua cum lichene islandico, cum c. peruv., cum amaris et amaricantibus utiliter componitur.

Hyoscyamus cum zinco, dulcamara cum stibio,

cicuta cum mercurio jungitur, aconitum cum guajaco, nux vomica ab una parte cum cicuta, ab altera cum ferro praescribi, nec sine fructu, posset: crocum alii cum opio, alii cum aloë et myrrha praescribunt: quae singulae formulae ex artis regulis dijudicandae sunt.

Habent alia narcotica in cerebrum et nervos sensus, alia in spinae medullam, alia in vagum, alia in sympathicum majorem efficacitatem. Incitant alia cutis actionem, alia renum, alia genitalium, alia pulmonum. Quando cerebrum sopiendum est, opio, vel hyoscyamo primas partes tribuunt: quibus in hystericis castoreum, nimiumve irritato systemate uropoietico et genitali tantillum camphorae addere juvabit. Ubi cutis actio promovenda, cum diaphoreticis crocus, cum antiscrofulosis dulcamara copulatur: ubi tussis pectorisque spasmi componendi, cum hyoscyamo zinci flores, ubi rheumatismus chronicus oppugnandus, cum aconito vinum antimoniale, sulphur, guajacum conjungunt: ubi denique scrofulosis paranda medicina est, cum Plummeri pulvere copulant cicutam, aut hanc cum muriat. baryt. muriate calc., cum aq. laurocerasi medici praescribere consueverunt: ubi solvendi denique viscerum infarctus, in morbo nigro veterum, cicutam, aquam laurocerasi et liquorem terrae foliatae tartari una formula comprehendunt.

Solutionem extr. belladonnae in aqua laurocerasi in dysphagia Hufelandus, in ictero pertinaci Rich-

TERUS laudavit: nec tamen uterque circumscripsit casus, in quibus profuerunt. Prior etiam cum c. peruv. belladonnam in quartana recidiva commendavit: de qua formula idem judicium esto.

Prostat formula in opere celeb. SOBERNHEIM, nomine Schmidtmanni, ex tinctura stramonii, extr. belladonn. et aq. amygdalar. am. concentr. adversus prosopalgiam adhibenda: in qua tria narcotica heroica conjuncta inveniuntur, methodo certe minime probanda. Est enim experimentum perquam periculosum, neque arti multum profuturum, quandoquidem si profuit, quomodo profuerit, non facile explicabitur, neque analysin admittet.

Quae eodem loco proponitur, formula pulveris ex hyoscyamo, nitro, ipecacuanha et cinnamomo adversus haemoptysin, a viro doct. JAHN praescripta, nequaquam imitanda videtur: in qua nempe mitia immitibus coeunt et dotes pharmacodynamicae contrariae uniuntur.

Ex narcoticis, quae cum diversissimis remediis copulantur, opium est: cum demulcentibus, cum adstringentibus, cum acribus, cum nervinis caet. Notissima cum ipecacuanha formula est in pulv. Dover.; plurimum quoque a pluribus laudata cum cort. peruv., qua praepediri saepe poterit alvi fluxus, quem concitasse cort. peruv. observarunt.

Minus nota cum martialibus compositio, quam postulabit interdum neuralgia, aut haemorrhagia: ubi cum erethismo nervorum partium irritabilium

infirmitas est et atonia. Suppari consilio digitalem cum ferro componunt: salubris in hydrope pectoris atonico medicina, haec formula mihi interdum probata est: nec desunt, qui sic maxime urinas potenter cieri posse, animadverterunt.

Uti crocum cum opio, ita cum benzoë, cum succino, cum iride florentina, variis medendi consiliis, conjunxerunt medici. Quo loco notandus est pulvis celeb. medici Sueci ROSENSTEIN: ex croco, iride florent., semin. carvi., magnes. carbon., ad sedandos infantum spasmos, quem ex thea foeniculi propinare jussit. Nonne praestaret tamen, loco sem. carvi semen foeniculi substituere pulveremque ex aqua depurata sumendum praescribere, quo simplicior fieret jam satis complicata medicaminis infantilis formula?

Utrum tuberculosis incipiens infantum posset per compositionem aquae laurocerasi et vini stibiati in iisdem praecaveri, uti sperat doct. TOURTUAL, equidem ignoro.

Digitalis non tantum cum ferro, sed cum mercurio, cum jalappa, cum scilla conjunctim praescribitur: de quibus compositis formulis notandum est, praecipue vitanda acria esse, ne remedium per se nauseosum, ventriculum ad vomitum concitet. Amant nonnulli aceto infundere herbam, aut addere liq. terr. foliat. tart. Prior formula commendata dicitur a cl. SCHOENLEIN et utique explorari meretur: alteram commendavit cel. WENDT, ad-

versus scrofulam floridam infantum.

Ex quamplurimis compositionibus cicutae, illae cum mercurio, cum stibio, cum sapone, cum gummi ferulaceis practicorum medicorum animadversione perdignae videntur: siquidem in morbis scrofulosis et hypertrophiis: dysphagia, dyspepsia, vomitu chronico, ex hoc fonte provenientibus, non sine fructu administratae fuisse leguntur: cui aliorum medicorum experientiae nec mea refragatur.

Praeterea cicutam utiliter cort. peruv. decocto adjunximus, ubi cum morbo scrofuloso laxus corporis habitus erat emendandus.

An adversus arthritidem cum aconito cort. peruv. adhibendus et resin. guajac., cujus hoc pacto sanandae spem facit pulvis antarthriticus Graefii, nescire me fateor. Rectius forsitan cum stibio aconitum componitur; minus recte et caute cum vino colchici. Nec magis probanda mihi videtur compositio ejusdem vini cum infusione fol. rhoïs toxicodendr. quam adversus paralyses arthriticas laudavit Sobernheim: additis praeterea tinct. guajac. volat. et syrup. balsam. peruv. atque proposita dosi minime parca: aut ejusdem formula infus. fol. rhododondr. chrysanth. cum tinct. aconit. aether. et vino stibiat, dosi pariter minime exigua l. l. II. pag. 55. edit. 1841.

Videtis, a medicis principibus etiam in formulis remediorum narcoticorum praescribendis simplicitatem non magnopere curari: utut optandum fo-

ret, ut in hoc potissimum remediorum genere curaretur plurimum. Quomodo enim horum vere heroicorum dotes hucusque parum utique cognitas adcurate explorare licebit, nisi ante simplicia adhibeantur, quam ad composita fiat transitus? Quomodo siquando viru noceant, occurri potenter poterit morbo, ex toxicis pluribus concitato? Quomodo siquando profuerint, virtutes therapeuticas exacte quis definire audeat medicaminis adeo complicati? Nonne ejusmodi praxis justam promeruit HAHNEMANNI et Hannemannianorum censuram atque praestaret in talibus administrandis horum imitari exemplar; praebendo venena isthaec sine ulla additione corporis alius medicati, praebendo exigua dosi, nec nisi longo demum tempore post repetita. Haec si servarent praecepta medici, longe aptius possent discernere symptomata pharmaci a symptomatibus morbi et examinare virtutes medicatas remediorum, non in perniciem, sed in salutem aegrotantium administrandorum. Nam hac tandem lege ac conditione bene exercebitur ars salutifera.

Belladonna, aconitum, stramonium, nux vomica praesertim methodo magis simplici, aut si velitis, homoiopathica: id est sine additamentis, dosi exigua magnoque interjecto tempore a medico perattento atque a partium studio libero nullique adhaerente doctrinae, critico denique judicio pollente explorari denuo deberent.

RESINOSA REMEDIA CUM ALIIS COMPONENDA.

Ex hisce praesertim g. ferulacea sunt. Nam reliqua vulgo simplici magis formula praescribi solent, si unam excipiatis terebinthinam, cujus cum sulphure compositionem in bals. sulphur. terebinth. efficacissimam expertus sum adversus rheumatismum chronicum formulam: quo tamen remedio calidissimo is tantum utatur oportet, qui quo in casu conveniat, noverit. Nam in hoc certe cadit illud BOERHAAVII monitum: *abstine, si methodum nescis.*

Itaque componuntur gummiferulacea cum pluribus aliis: acribus, narcoticis, nervinis, amaris, solventibus: hoc pacto componitur asa foetida cum rheo, et felle bov. inspiss.: qua compositione uti solebant majores, tamquam medicina potenter resolvente ad infarctus viscerum solvendos, neque incassum saepenumero: uti solebant pariter cum ipecacuanha, rheo, extr. marrub. ad scrofulam mesentericam, nec raro suppari consilio cum cicuta et sapone; uti solebant ad menses provocandos ad sanandam passionem hystericam, ad solvendum asthma spasmodicum ad ipsamque ossium cariem. Tamquam nervinum copulant cum valeriana, cum castoreo: de quibus compositionibus monendum est, idem quod prius de compositionibus g. ammoniaci monuimus, nobis saepenumero profuisse

solam as. foetid. cum succo liquiritiae, larga dosi adjecto, ita ut ad drachmam unam adjicerentur dr. iij liquiritiae ac quovis die sumerentur gr. xvj, quavis dosi gr. iv.

Cum castoreo utiliter componitur in passione hysterica, si ejusmodi calidioribus medicinis uti proficuum sit. Talis formula, SYDENHAMI auctoritate, commendatur.

An MILLARI ad exemplar, in asthmate infantum praescribenda sit: an praestet, in enemate adhibere, dicere non ausim; quoniam lenioribus aliis fructuose in hoc morbo usus sum.

Myrrham componunt cum ferro in mixt. Griffithica, cum camphora, cum balsamicis, cum opio, cum dulcamara, cum chamom., cum cinnamomo: de quibus connubiis monendum est, praestare saccharum myrrhae Hoffmanni compluribus aliis; solam excipio Griffithi mixturam, multis testimoniis comprobatam.

G. ammoniac. cum helenio, cum sulphure, cum iride florent. et liquiritia in asthmate humido praescripsit QUARINUS: cum senega alii, et camphora et mercurio et stibio et extr. marrubii; formula certe nimium composita.

Commendabilior compositio cum stibio, aut solutio in sp. Mind., ad normam Frankianae.

An laudanda sit conjunctio g. galb. cum succo catechu ad blennorrhoeas, a RICHTERO laudata, dubito.

Aliorum etiam balsamicorum: copaivae, bals. peruv. caet. complicatas formulas vix imitandas crederem: neque therebinthinae, nisi cum ol. ricin. ad taeniam, cumque aethere sulphurico alcoh. ad normam celebris medicinae Durandeae, ad calculum felleum, cumque sulphure in oleo Harlem., remedium antea memoratum, neque a vulgo, ut solet, sed a medicis adhibendum.

Crebro formulas istas magistrales lustrans, a principibus medicorum concinnatas, in eam veni sententiam, eas potius umbraticas atque lucubrationum eruditarum filias, quam fortunatarum sanationum matres dici haberique debere.

NERVINA CUM ALIIS COMPONENDA.

Nervina volatilia saepe cum tonicis componuntur. Exemplo sit valeriana cum cort. peruv., aut serpentaria cum eodem conjuncta: copula in intermittentibus nervosis saluberrima: ejusdem usus est moschi, camphorae, castorei, aetherum cum cort. peruv. Minus nota, nec minus fortasse salubris compositio cascarillae cum moscho, castorei cum amaris.

In electuariis antihelminticis exempla habentur nervinorum cum purgantibus compositorum. Quod nervina cum acribus possint jungi, docent helenium et arnica. Emetica, cathartica cum carmi

nantibus utiliter junguntur: praesertim in pneumatosi intestinorum: quae conjunctio etiam utilis fieri poterit, si priora praescribantur refracta dosi, qua sive ad ventriculum, sive ad intestinum dirigatur remedii nervini vis. Ipecacuanha, rheum hoc pacto cum menthae oleo aliisque similibus fructuose copulantur.

Diaphoretica cum nervinis crebro junguntur: valeriana cum sp. Minder., rob. sambuci, helenium cum iisdem, aut chamom. flores, aut sassafras. Diuretica pariter cum nervinis composita proderunt in hydrope spastico, in ischuria spasmodica inque morbis cutaneis: crusta lactea infantum, impetiginibus senum, nonnullis cordis neurosibus. Narcotica et nervina crebro coëunt, ubi partium quarumdam erethismus sedandus, stricturae spasticae solvendae, aequilibrium restituendum. Sic castoreum cum opio componitur in neuralgiis intestinalibus, cerebri functionem turbantibus. Chamomilla cum aq. laurocerasi: ubi intestinorum, aut uteri sedandi spasmi. Helenium cum hyoscyamo, aut hyoscyamus cum croco, cum benzoë adversus asthma spasmodicum adhibentur. Ejusdem generis est tinct. croci cum laud. liq. copula: hujus cum tinct. succini, aut liq. c. c. succin. Cum g. ferulaceis nervina componi, prius videmus: as. foetid. cum valer. v. c., additis saepe amaris. De compositionibus cum sulphure, terris, metallicis deinceps. Jam videamus de formulis quibusdam singularibus.

Prostat apud SOBERNHEIM infus. c. cinnam., flaved. c. aurant. cum tinct. rhei vinos., sp. sulph. aeth. et syr. aurant., reconvalescentibus ex morbis ab inanitione commendata: quae ex pharmacodynamices legibus explicanda vobis proponitur. Et alia ex aq. cinnam., tinct. cinnam., aeth. acet. et syrup. pap. alb., laudata in metrorrhagiis. Prostat formula pilularum, PHOEBI nomine, ibidem: ex castor., g. as. foetid., ol. menth. pip., extr. valerian., consperg. pulv. vanill., cum qua cff. formulae doct. Schubarth: ex castor., as. foetid. et extr. cham., consp. pulv. cass. cinnam et Sydenhami, ex prioribus c. myrrh., galb. et tinct. valerian. II. pag. 191. Moschi formulae compositae cum aq. foenic., sp. c. c. succin., propositae a TOURTUAL et VOGT, ad regulas pharmacodynamices factae videntur. An pariter ammon. c. valerian. et croco ibid. pag. 197? An sp. c. cerv. cum mentha? An cum aceto scillitico et tinct. opii? Hanc formulam in ischuria spastica proposuit HENKE. In multas harum formularum animadvertimus, eas tantopere complicatas esse, ut difficile dictu sit, quid profuerit, quid obfuerit: quocirca nequaquam junioribus medicis ad imitandum proponi posse videntur; nam quod fieri potest per pauca, fieri non debet per plura: et si cogitemus genus nervosum, subtilissimum illud remediorum nervinorum reagens, per ejusmodi stimulos compositos excitari multifarie, haud mirabimur, ne vel sagacissimum experimentatorum

posse symptomata medicinalia, talibus provocata formulis, rite discernere.

DE REMEDIIS E SULPHURE CUM ALIIS COMPONENDIS.

Sulphur cum eccoproticis, resolventibus, amaricantibus componitur, potissimum, ubi haemorrhoidibus medendum et plethorae venosae. In arthritide et rheumatismo chronico cum aconito composuerunt. In complicatione scabieï cum scrofulosi cum sulphure conjungitur pulv. Plummeri: connubium tum praesertim laudandum, quum scrofula scabiem adulteraverit, novamque procreaverit exanthematis complicati speciem. An ex inf. sambuci, aut dulcamara? Quodsi phthisis, aut asthma haemorrhoidarium prehenderit, cum tantillo benzoës, iridis florent., foeniculi, liquiritia utiliter praescribunt. De bals. sulph. tereb. vid. supra.

DE TERRESTRIUM ET ALCALINORUM COMPOSITIONIBUS.

Carbo cum digitali in phthisi florida, cum quassia et magnesia in pyrosi adhibetur.

Aq. calcis decoct. lich. island., columbo, c. peruv. additur, ubi renum, vesicae ulcera, aut lithiasis ejusmodi tonica postulant.

Sapo cum rheo, cum g. ferulaceis, cum fell. bov. insp. utiliter componitur: nec non cum cicutae extracto, ubi potenter resolvendum.

Magnesia cum rheo, cum foeniculo, cum iride florentina praescribitur, infantibus praesertim: in quibus formulis concinnandis praecipue simplicitatis habenda ratio est; quod saepe et a multis medicis negligitur. Exemplo sit pulv. Hufelandi maxime compositus, utut plurimum celebratus.

DE ACIDIS CUM ALIIS COMPONENDIS.

Aceti analeptica virtus saepe aliis sociatur analepticis: praesertim valerianae et camphorae. Posset etiam sociari sambuco, chamomillae caet.: quod tamen hodie rarius fieri solet; quia huic acet. ammon. liq. ad promovendam diaphoresin anteponunt.

Acida mineralia miscentur cum tonicis: lich. island., cort. peruv., cort. sal. alb., flor. rosar. rubr., cum nervinis: valeriana, calam. aromat., serpentar. virgin., salvia: subinde cum opiatis, aut mucilagineis, idque vario medendi consilio, quemadmodum supra docuimus compluribus locis.

DE SALIBUS CUM ALIIS COMPONENDIS.

Ex salibus alia sunt purgantia, alia digestiva,

alia antiphlogistica, diaphoretica, diuretica alia.

Priora cum eccoproticis, purgantibus, resolventibus, amaricantibus copulant. Notissima formula est pilularum ex rheo, sal. polychr. et sapon. et pulveris ex jalapp. c. cremore tartari.

Liq. terr. fol. tart. cum extr. tarax., chelidon., card. bened. conjungitur cumque aqua laurocerasi, extr. cicut. caet.

Quando opus est antiphlogistico diaphoretico, nitrum bene decoct. bard., inf. samb. adjungitur. Quando diuretico antiphlogistico opus est, nitrum cum crem. tart. cumque digitali componitur. Quando calidorum vis temperanda est, nitrum addunt: quod in sulphuris et camphorae cum nitro copula spectatur, nec tamen laudatur ab omnibus.

Minus laudo compositionem sulph. sodae cum rad. columbo, a RICHTERO propositam. Formulam notavit SOBERNHEIM l. l. II. pag. 237.

Murias ammoniae cum digitali purpurea in endocarditide rheumatica, hydrope pericardii, hydrope pectoris salubriter conjungitur. Adversus intermittentes catarrhales, rheumaticas cum chamom., c. amaris, subinde cum c. peruviano. Adversus cataractam cum senega copulaverunt: quae efficax sane remedii resolventis formula est.

DE METALLORUM COMPOSITIONIBUS CUM ALIIS.

Hoc loco potissimum notanda bismuthum, zincum, plumbum, ferrum, stibium, mercurius.

Bismuthum cum mucilagineis, terrestribus non tantum, sed etiam cum acribus, cum narcoticis, cum nervinis copulant. Ex prioribus magnesia est, ex acribus ipecacuanha, rheum, ex narcot. hyoscyam. lactuca virosa, belladonna, nux vomica: ex nervinis valerian., fol. aurant., artemisia: quae connubia eo consilio inventa videntur, ut per bismuthum ad ventriculum dirigatur vis remedii.

Plumbum cum opio, interdum cum phellandrio aquatico composuerunt. Hoc an recte, an perperam?

Ferrum cum tonicis amaris, cum chinino sulphurico, cum rheo, cum aloë, cum g. ferulaceis: g. ammon., galban., myrrh., cum valeriana, aurantio, mentha, foeniculo, vino praescripserunt.

Stibium non tantum cum mercurio, aut sulphure, aut sapone, verum etiam cum amaris, cum acribus, cum narcoticis, cum nervinis, cum squilla, g. ferulaceis, arnica, opio, aconito, dulcamara, acid. benzoico, moscho, foeniculo, chamomilla, sambuco compositum.

Mercurius cum acribus: rheo, jalappa, scilla, digitali; cum narcoticis: opio, hyoscyamo, cicuta,

belladonna, aconito; cum g. ferulaceis, cum camphora, moscho ac nuper etiam cum jodio junctus fuit. De quibus compositionibus monendum est, per alias alia spectare medicos, sive per remedia adjuncta mercurium in certam organismi sedem traducere, sive per additum mercurium in systema lymphaticum glandulosum deferre aliorum remediorum vim studentes: idque non tantum per mercurium, sed etiam per stibium similiave antiplastica remedia efficere conantur medici pharmaceutae. Sic quando mercurii vis ad intestina traducenda est, jalappam addunt, aut rheum: si ad renes, scillam: si ad cor, digitalem: si ad cutim, moschum. Et contra, si cum neurosi morbus plasticus oppugnandus est, nervino mercurium subjungunt, aut aliud antiplasticum: sal ammoniac., stibium, jodium, cicutam, muriatem barytae caet.

Hasce organicas medicaminum vires ante alia explorare oporteret: quas si haberemus rite cognitas, artem teneremus componendi pharmaca, suis numeris absolutam, veramque teneremus scientiam pharmacodynamicam.

DE MATERIE MEDICA VETERUM.

Exstat libellus viri cl. DIERBACH, professoris Heidelbergensis: de *Materia medica Hippocratis*, sive rectius de Materia medica Hippocraticorum, editus a. 1824, quo luculenter adparet materiae medicae apud Graecos illos ex medicina domestica origo hujusque ratio prorsus empirica. Computantes medicaminum usus, videbitis, longe maximam partem mulierum morbis aptari, sive hae crebrius aegrotarent, sive has magis curarent medici.

Inter veteres de materia medica scriptores eruditionis fama inclaruit DIOSCORIDES, quem auctorem nuper edidit eruditiss. CURT. SPRENGEL, a. 1829. In hoc majorem profecto cernimus studii perfectionem. Nam in ipso jam prooemio, quantopere illud studium cum studio botanices atque physiologiae plantarum cohaereat, ostendit et regulas tradit herbarum colligendarum servandarumque, pharmaceutis notandas. Dolendum tamen, desiderari plantarum descriptiones botanicas, ea cura factas, ut exinde, quas voluerit plantas, efficiatur. Est autem hoc vitium temporis, non auctoris. Erat enim scientia botanica nondum condita, neque terminologiae severiorisque disciplinae principia

posita. Quae cum ita sint, veterum de hoc argumento scripta semper botanicorum criticorum opera indigebunt; neque spes est, fore ut haec disciplinae medicae pars unquam virorum eruditorum votis respondeat.

Verum praeter hoc etiam artis commemorandum desiderium est, quae majori diligentia perscriptos cuperet casus ac conditiones, in quibus remedium quodcunque profuit. Est haec quoque culpa potius temporis, quam auctoris. Oportet scilicet eam, quam vocamus, pharmacologiam a traditione empirica tribuum et gentium, brevi a medicina domestica repetere, posteritatis demum gentiumque cultissimarum studiis, laboribus, observationibus emendandam, purgandam, perpoliendam.

Atque hoc loco hortari vos debeo, ne hanc partem empiricam negligatis: siquidem hujus potissimum disciplinae desideramus hactenus fundamentum empiricum. Desideramus videlicet historias sanationum adcurate traditas, quibus scientia medicamentorum niti deberet quibusque in ejusmodi scientia empirica, paene dixeram experimentali, qualis haec est, aegre profecto caremus. Est nempe haec medicina nostra, physica organica subtilissima: est subtilissima pariter chymia, neque ullum facile invenies tam mobile, tam sensile reagens, quam corpus humanum inque corpore genus illud nervorum. Quodsi physici in praeclara sua experiundi arte omnes quascunque conditio-

nes exacte ac diligenter notent, pondere, mensura, numero definiant, cur nos medici horum non imitaremur industriam, qui artem, aut si mavelitis, scientiam colimus, eo difficiliorem, quo in rebus subtilioribus cognoscendis versatur.

Sed ad veteres, ut revertamur, ne quaeso in horum scriptis legendis, aut pervolvendis obliviscamini, iisdem contineri artis initia scientiaeque rudimenta prima: ut ab iis exspectari nequeant, quae recentior aetas promittit.

Juxta materiem medicam empiricam alia exstitit dogmatica, quae humoribus sive evacuandis, sive corrigendis erat consecrata: hanc alia secuta est methodica, ad methodicorum rationem composita: denique quarta, alexipharmaca, toxicologica, venenis sive pellendis, sive cicurandis adcommodata. Itaque ex domestica atque empirica quae fuerat, facta est materies medica magistralis, formulas quippe proferens magistrales: id est medicorum artis magistrorum opera concinnatas horumque auctoritate et fama commendatas. In scriptis Celsi, Caelii Aureliani, Alexandri Tralliani ejusmodi formulas invenietis, adjecto auctoris nomine: invenietis etiam alexipharmaca cum in hisce, tum in Dioscoridis opere, quae miram habent remediorum multiplicis generis farraginem.

Aevo medio ad empiricam illam et dogmaticam materiem medicam accessit tum scholastica partim Galenicae, partim Arabicae medicinae proles, tum

diaetetica clericorum, cujus specimen exstat in regimine sanitatis scholae Salernitanae: de qua cff. quae tradita sunt in libro *de Historia Medicinae*, antea a me edito.

Igitur antiquitus medicamentorum vires usu repertae, ratione atque auctoritate probatae sunt, tam medicorum magni nominis, quam clericorum artem facientium: donec tandem legibus cautum sit, ut nisi a probatis viris haec medendi ars exerceretur, nec nisi secundum artis regulas parata medicamina aegrotantibus porrigerentur.

Quodsi judicio critico morbos, quibus medicamina isthaec mederi dicuntur, consideremus, perspiciemus brevi, plerosque potius symptomatum, quam morborum nomine nuncupandos esse ac desiderari vulgo adcuratam illam doctrinam de horum symptomatum origine atque natura, qua demum usus ipsorum legitimus cognosci potest. Excipiendus tamen est ALEXANDER TRALLIANUS, qui multorum remediorum a GALENO laudatorum censuram egit horumque usum redarguit et inter primos fuit, qui rectam indicavit medicamina administrandi rationem.

DE MATERIA MEDICA INDORUM.

Inter plurima scientiae nostrae desideria etiam numeramus geographiam medicamentorum: quae

profecto si vel solas cogitemus plantas, egregie illam ornaret atque amplificaret disciplinam, cujus jam, quod arida et sterilis videtur, sordent inter cives academicos studia.

Ipsa autem haec scientia pharmacologica quam sit pulchra, si cum physiologia et pathologia plantarum, si cum zoologia, si cum geologia denique conjungatur, ii optime intelligent, quicunque rei periculum fecerint: nec dubium, quin si et haec disciplina non seorsum, verum in nexu organico naturae scientiarum orbis reponetur, laete efflorescat et vigeat. Nam uti unus est organismus naturae, sic omnes disciplinae physicae organico vinculo nectantur, necesse est.

Sub aequatore et inter tropicos plantae medicinales summarum virium abundant, principiis praesertim aromaticis, balsamicis, resinosis insignes inque hisce quid solis tropici luce et calore effici possit, ostenditur.

Indiae peninsulam incolit gens antiquissima, culta maxime et litterata, cujus traditiones pharmacologicae mirifice cum iis medicorum Europaeorum consentiunt.

Scripsit de materia medica Indica nuper eruditissimus Brittannus Whitelaw Ainslie; Brittannis enim debemus litteraturae Indicae primam notitiam. Is opus suum duobus voluminibus edidit. Priore ea tradidit medicamenta, quae Europaeis et Indis communia sunt. Posteriore comprehen-

dit ea, quae Indis sunt propria.

Falleretur tamen, qui existimaret, herbas salubres, ab Indorum medicis usurpatas, esse ipsius peninsulae incolas indigenas; plures peregrinae sunt, aliunde advectae, postmodo ibi cultae. Ea autem, quibus utuntur medicamina, valdequam numerosa, varii sunt generis variisque mederi feruntur adfectibus. Tam morbis, quam symptomatibus dicuntur mederi: neque haec ab illis discernuntur, neque ad morborum, aut symptomatum origines magnopere adtenditur, nec definiuntur vulgo conditiones, quibus positis administrari debeant, nec describuntur diligenter doses; brevi ea cernitur artis conditio, quae a traditione parum abest. Cernitur pariter traditionis avitae auctoritas, qualis inter Orientales inprimis viget. Frustra vero quaereretis observationes, quibus medicaminum virtutes medicatae probentur: quae tamen culpa non solam Indorum pharmacologiam tangit. Nihilominus vero quadantenus de hisce virtutibus medicatis judicari poterit, tam ex dotibus physicis remediorum praedicatorum, quam ex analogia cum aliis remediis adfinibus.

Quapropter percurramus breviter nonnullas familias naturales, quo magis de hac quidem analogia constet.

Itaque ex meliis memoratur melia azedarach, cortice praedita amaro, adstringente tonico, quo in febribus utuntur inque rheumatismo chronico

medici Indi; quo nomine convenit cum reliquis hujus familiae plantis, quae DE CANDOLLIO dicuntur febrifugae.

Ex menispermis menispermum cordifolium, amarum, nauseosum, alterans, in cachexia ex viscerum infarctu atque ictero laudatur ab Indis. Ad eandem familiam pertinet radix columbo.

E sarmentaceis plures memorantur, amarae, aromaticae, stomachicae, in febribus et morbis gastricis, verminosis salubres.

E sapindis sapindus emarginatus in asthmate laudatur humorali.

E salicariis celebratur lauronea spinosa, ob virtutes adversus cachexiam leprosam. Citatur a DE CANDOLLIO species Mexicana, quae in syphilide censetur potentissima, sudores, urinas, alvum fortiter movens.

In compositis duo esse principia medicinalia notat DE CANDOLLE: alterum mucilagineum, alterum amarum: unde intelligitur, cur aliarum in dysuria, aliarum in morbis verminosis, gastricis salubritatem experti sint medici.

E cucurbitaceis plures recensentur, propter vires acres, catharticas, efficaces: praesertim bryoniae species.

Apocineas esse acres, stimulantes, subadstringentes animadvertit DE CANDOLLE. Hinc cynanchum extensum cur anthelminticum, antiasthmaticum, cur nereum antidysentericum Indis habeau-

tur, forsitan explicandum.

Ex gentianis citatur chirayita, uti reliquae, amara, stomachica, febrifuga.

E solaneis habetur, quae in dysuria, ischuria utilis (solanum Indicum) aliae, quae in asthmate humorali morbisque hecticis (solanum Jaquini et trilobatum).

Personatas vix constituere familiam naturalem, monet DE CANDOLLE. Hinc aliarum stomachica, aliarum antispasmodica, aliarum cachexiis, dyscrasiis, morbis hydropicis, cutaneis, urinariis adversa potestas extollitur.

E labiatis ocimum sanctum, febrifugi nomine, memoratur.

Potentia acris caustica plantaginum nota Indis in plantagine rosea, quam in rheumatismo chronico et paralysi adhibent.

Ex amarinthis adhibetur amaranthus campestris, et quidem radix, decocti formula, tamquam emolliens, in stranguria.

Ex elaeagnis celebrantur duae thermaliae propter vim, qua scatent, adstringentem, in diarrhoea et febre utilem.

E plantaginibus plantago isphagula laudatur ob mucilaginem (an seminum?) in catarrho, blennorrhoea urethrae adfectibusque nephriticis.

Euphorbiarum vires acres administrantur scopo alterandi, depurandi (adversus lepram) purgandique.

Orchideas in blennorrhagia vesicae et urethrae pariter inque morbis hecticis adhibent Indiae medici.

E graminibus quaedam refrigerandi, diluendi, excitandi leniter et resolvendi consilio Indi administrant.

Universe animadvertimus a medicis Indiae eum fieri remediorum in casibus singulis delectum, quem nostra etiam experientia nosterque artis usus praecipiunt.

In catarrhis, blennorrhagiis pectoris viarumque urinariarum adfectibus dolorosis, nephriticis laudant, ut nos laudare solemus, et administrant, ut nos facimus, emollientia, demulcentia, mucilaginea. In febribus praecipiunt refrigerantia, diluentia, in morbis atonicis, gastricis, febrilibus amara, tonica, adstringentia: ex quibus palmaria ipsorum, ut nostra, febrifuga sunt. Scopo evacuandi per vomitum, alvum, urinas, aëria commendant, quae et nos commendamus eaque similiter, ac nostri medici rheumatismo chronico morbisque hydropicis, paralyticis opponunt: dum in cachexiis et dyscrasiis vulgo ea ad corporis habitum emendandum sanguinisque et humorum indolem corrigendam celebrant, quae sive mucilaginea sunt, sive acidula, seu levem denique mucilagini copulatam habent acrimoniam: ejusmodi ea remedia sunt, quibus adversus lepram, impetigines, syphilidem inveteratam utuntur.

Quae cum observamus, nonne fatendum est: experientiae medicae traditionem apud gentes remotissimas supparem esse (*) primoque usum docuisse artem: nec post rationem medicinam esse inventam, sed post inventam medicinam rationem esse quaesitam.

Nimirum ars fuit medicina et esse debuit, priusquam in scientiam evadere potuerit, omnisque haec pharmacologia, nisi fundamento nitatur empirico, manca esse et imperfecta reperietur. Rudis, fateor, ejusmodi empiria prima erit: attamen ea, unde ars ipsa originem trahit, quae et ipsa scientiae empiricae, qualis nostra est, prima initia et rudimenta contineat, oportet.

Certe operae pretium faceret, qui, collatis undeque rerum testimoniis, nobis concinnaret materiem medicam comparatam: idque non tantum diligentia ac studio, verum etiam judicio critico adhibitis.

DE THERMIS ET FONTIBUS MEDICATIS.

Nulla ferme disciplina medica practica est, quae

(*) Rem ea, qua fuit eruditione et observandi sagacitate, jam viderat et indicaverat DE CANDOLLE vir celeb. his quidem verbis: » *la lecture comparative des récits des voyageurs prouve, que les plantes du même genre, ou de même famille ont été employées aux mêmes usages par des peuples fort eloignés, qui ne s'etaient point communiqués entr'eux.*" (l. l. pag. 30).

magis critices opera indiget, quam ea, quae thermas et fontes medicatos spectat. Nec mirum: siquidem rudis empiria, sacra auri fames, aemulatio, credulitas, fastus, superbia, verbo omnes paene animi humani adfectus hic suas partes agunt, neque quid verum, quid secus, facile deteget, qui sive balneographorum scriptis, seu relationibus aegrotantium solis fidem habeat. Id intelligentes, more seculi, chymiam fecere rerum arbitram: quod equidem minus probo idque plures ob caussas. Nam primo notissimum est, nequaquam dotes chymicas definire thermarum, aut fontium salubritatem, tum de analysibus istis chymicis multum in utramque partem posset disputari; denique omnis geographia medica cognoscenda est ei, qui in singulis casibus de indicationibus et contraindicationibus ex sano judicio statuere velit. Profecto hoc non unius scientiae munus est, sed universarum scientiarum naturalium, quibus medicus ad rectum artis exercitium instructus sit, oportet, ut vere mundanus, i. e. totius mundi civis vereque philosophus, i. e. sapientiae studiosus dici haberique queat.

Primum et praecipuum thermarum et fontium medicatorum emolumentum est vitae generis mutatio. Alterum est cutis utriusque tum externae, tum internae lotio. Tertium animi medicina est, naturae hominumque consuetudine. Atque haec emolumenta tanta sunt, ut nullis aquarum virtutibus possint compensari. Ante omnia igitur medi-

cus cuique aegro eos fontes seligat, qui has indicationes expleant, adcommodate ad cujusvis indolem, naturam, vitae conditionem. Tum quaerat traditionis summam, idque non ex monographiis, verum ex medicorum principum scriptis. Denique notet dotes physicas, principia chymica: praecipue vero medicorum ibi artem facientium mentem, peritiam, prudentiam; quas dotes fontium thermarumque psychicas adpellare licet.

Solent medici vulgo aegrotos, de quibus sive curandis, sive servandis desperent, in longinquas terras mittere: quod uti haud raro temere fit atque inconsulto, ita crebro quoque sive incassum, seu exitu tristi, cujus rei testimonia sunt tot aegrotantium funera, qui a medicis suis relicti, aut ad alios aliosque missi longe a patria suisque diem obiere supremum. Evenit inde, quemadmodum fieri solet, cum semper in extrema ruat gens mortalium, evenit inde, inquam, ut malus rei eventus in ipsam methodum redundaret, ac quia saepius aut non profuerat, aut nocuerat, et a vulgo et a medicis ipsis damnaretur.

Licet interim subinde frui plurimis harum peregrinationum commodis et emolumentis: hic in patria adhibendo balnea maris et fluminum, alibi in continente administrando praeclara inventa Struviana, quae arte mirabili naturam imitantur.

Certe dolemus, in hac nostra patria ejusmodi institutum desiderari hactenus idque, salutis pu-

blicae caussa, reipublicae gubernatoribus de meliori nota cupimus commendatum.

De hoc argumento quicumque plura scire aveant, adeant scripta virorum eruditissimorum OSANN et VETTER, quorum alterum alterum complet: ita quidem, ut alterius rerum copiam atque ubertatem alterius sobrietate et judicio critico videamus aequari quodque desideremus in altero, in altero inveniamus.

Est autem unum desiderium, quod hactenus nondum expletum novimus: adplicatio scilicet curationis per thermas et fontes ad emendandam curationem per medicamina reliqua. Illius curationis exemplo docemur v. gr. naturam curare per composita ac saepe per minima, quod multi per simplicia et per maxima tentant. Docemur, certas esse miscelas salubres, quas laudabili proposito in nostris formulis utiliter sequeremur: jodii v. c. cum sale vulgari, carbonii gazosi cum ferro, salium purgantium cum magno caloris gradu, sulphuris cum eodem ac salibus multaque alia, quae medicus practicus in artem transferre, magno aegrotantium suorum commodo, posset. Verum hoc si recte fiat, opus est ea scientia universi, quam nobis exemplo ipse suo magnus ostendit HUMBOLDTIUS: cujus cosmographiam vos, sicubi vere proficere optetis, nocturna versate manu, versate diurna.

DE METHODO INTERPRETANDI PHARMACOLOGIAM.

Diu multumque quaesitum est, quomodo operentur medicamina: an ex physicis et chymicis dotibus possint explicari ipsarum vires, an ex organismi viventis legibus.

Hanc interpretationem non aliam fore, quam eorum, quae sive alimenti, sive veneni titulo corpori admoventur, equidem putaverim; nam inter haec duo: alimenta nempe et venena, ipsa pharmaca intermedia sunt. Ea autem in ventriculum intestinaque recepta, aut mucosis aliis cutive admota, a corpore vel subiguntur sanguinemque subeunt, vel ipsa corpus subigunt, sanguinem inquinant et per hunc nervos vellicant. Ex neutris, alimento adfinibus, sunt mucilaginea, gummosa, amylacea, saccharina, quibus etiam albuminosa, oleosa, gelatinosa adjungere oportebit. Ex peregrinis, stimulantibus, venenatis reliqua sunt, sive amara, adstringentia, aromatica: sive acria, narcotica, oleoso-aetherea. Horum alia incitant fibras musculares: amara, adstringentia; alia lymphaticorum genus et membranas fibrosas: acria; alia denique in medullam nerveam agunt: oleoso-aetherea, balsamica, resinosa, narcotica.

An sint, quae sanguinem mutent, rogantibus vobis respondeo, constare de multis, verosimile

esse de omnibus: praesertim tum acida esse, tum alia, potissimum acria, aut acido armata principio, aut alcaloïdeo interque illa etiam adstringentia; id generis dici herbas antiscorbuticas, cortices acido tannico scatentes, aliaque consimilia etiam resinosa, balsamica; ipsa denique mucilaginea, praecipue mucosae adfinia.

Differunt interpretandi rationes, secundum doctrinas vulgares, aut vulgo receptas. Hodie mos fert, ex chymia rem explicare eique subjungere physiologiam. Hac mente MITSCHERLICH contendit, primam medicamenti actionem esse chymicam, quam deinceps partium organicarum renisus sequitur. At vero hic ipse renisus est, quo medicamenta salubria fiunt: quorum proculdubio pars longe maxima e corpore amovetur per varia colatoria. Eatenus eorum medicorum sententiae suffragandum est, qui perhibent, pleraque praescribi dosi nimia: quoniam tanta duntaxat requiritur, quanta sufficit ad hunc renisum suscitandum: quodque actionem chymicam adtinet, hanc nocere saepius, quam prodesse: quocirca v. c. nequaquam ingerenda vacuo ventriculo, sed post pastum maxime; tum ne mucosae obsint, tum ut cum chylo sanguinem humoresque subeant.

Sane permagni momenti foret, cognoscere quam demum mutationem patiantur res medicatae in corpore organico. Sed ne decipiamur, credentes eo usque processisse chymiam, ut nobis hanc muta-

tionem indicet: quae ne organismi quidem chymiam hactenus adsecuta est. Agitur de chymia organica, quae qua est subtilitate, sensuum mentisque aciem fugit: de partibus agitur organicis, quibuscum rudiora isthaec reagentia chymica, quibus utimur, nullo jure aequiparari queunt. Quamdiu autem chymia organica scientiae haud adepta sit auctoritatem et dignitatem, tamdiu medici prudentiores interpretandi principium chymicum in disciplina pharmacologica nonnisi caute admittent. Haec non ita accipite, quaeso, ac si negarem, chymiam esse, quae universam complectitur rerum naturam: verum sic tenete, hanc chymiam nobis homuncionibus latere hactenus. Scientiae vero cultoribus, i. e. iis, qui quid *verum*, unice quaerunt et curant, non licet, aut aliis fraudem facere, aut sibimet ipsis.

Est alia interpretandi ratio botanica, de qua nunc videndum est. Nititur ea adfinitatibus plantarum naturalibus, quae dotum medicatarum adfinitates monstrare creduntur. Exempla prostant, quibus haec methodus botanica probatur: quorum illud plantarum cruciferarum notissimum est. Verum abundant pariter exceptiones, quas anomalias dicere placuit medicis botanicis. Et quod ante omnia animadvertere debemus, ipsum systema plantarum naturale longe abest, ut hodie repertum sit: quemadmodum satis superque demonstrat classificationis ac denominationis ordinum, tribuum, fa-

miliarum, generum instabilitas. Praeterea non tantum inter se differunt plantae, sed plantarum quoque partes aliae aliaeque, ut saepenumero plures dotes eadem planta obferat: quocirca difficile dictu est, quorsum singulas plantas revocare oporteat. Quae cum ita sint, neque ab hoc principio botanico veram certamque interpretandi methodum repetere fas est.

Ultima igitur superest interpretatio organica: scilicet ea, quae ab actione medicamenti organica ducitur quaeque iterum duplex est: altera physiologica, pathologica altera. Illa tradit mutationes, quas facit medicamentum in corpore sano: haec eas proponit, quae in corpore aegrotante observantur. Prioris methodi aliquot exstant specimina, at pauca illa et imperfecta, si reï cogitemus magnitudinem. Alterius specimina abundant quidem, verum et haec magnam habent cautionem atque inprimis critices opera indigent; siquidem nec morbi rite definiti sunt, aut a symptomatibus distincti, nec corporum perspectas habemus diversitates variumque et patiendi et agendi modum. Haec cum cogitarem, non supervacaneum judicavi, criticam operi manum adhibere quidque factum sit quidque faciendum, circumspicere.

Siquid medicinae nomine nuncupare velimus, primum constare debet, per illud morbum revera fuisse sanatum. Atque hic primo discernendum est, utrum quem vocamus morbum, recte ita dicatur, an potius

dicendum sit symptoma. Tum sciendum est, quibusnam sub conditionibus quave lege hanc sanationem perfecerit. Denique cognoscendum, quae ratio sit inter morbum sanatum et medicamentum admotum.

In hac disputatione ne nimium a proposito aberremus, singulas praestabit lustrare medicamentorum classes, ut de his problematibus certi quid statuamus.

Et hic primo loco occurrunt ea, quae emollientia medicamenta adpellari solent. Eorum proxima est in mucosam et cutim actio atque praecipue laudantur in catarrhis tam mitigandis, quam sanandis. Sunt autem catarrhi membranarum mucosarum adfectiones phlogisticae, aut subphlogisticae cum laesa utplurimum cutis, quae dicitur, perspiratione. Naturae opera solvi solent hi catarrhi tum sudoribus, tum muci crassioris et uberioris secretione. Longaeva observatio docet, post ingesta copiose mucilaginea, gummosa hos catarrhos plurimum mitigari, et vel sanari crebro. Nec ab altera tamen parte exempla desunt, per ea medicamenta emollientia non tantum non mitigatos, aut sanatos esse, verum etiam auctos et protractos summopere. An propterea idem remedium eundem morbum et tollere et aggravare poterit? Quis vestrum ita opinabitur? Quid igitur? Nonne ante omnia perquirendum erit, utrum idem morbus fuerit, qui eodem nomine nuncupatur? Id si perquiramus, brevi intelligemus, vel ex catarrho in-

flammatorio acuto, ex blennorrhagia igitur, factam esse blennorrhoeam, i. e. muci profluvium atonicum, vel sub forma ac specie catarrhi latere dyscrasiam aliquam: scrofulosam v. c. aut aliam. Tum perquirendae sunt conditiones ac leges, quibus per medicamentum datum sanationem obtinuit medicus. Atque hae sunt: primo ut catarrhus fuerit acutus; secundo ut fuerit in stadio primo, nondum facta muci crassioris uberiorisque secretione; tertio ut morbus sit simplex et ipsi medicamento respondeat diaeta omneque vitae regimen, neque ab aliis incongruis additis alteretur, commutetur. Tandem indicandum, quae ratio sit inter morbum sanatum et medicamentum admotum: quam forsitan explanabit chymia organica et LIEBIGII de processu oxydationis placitum; neque praetermittenda erit analogia inter mucum animalem et mucum vegetabilem.

Emollientia sequuntur amara. At priusquam ad ea progrediar, agite videamus, quomodo MITSCHERLICH emollientium actionem interpretetur. A partibus iis obductis arceri vim stimulantem aëris atmosphaerici, in canali cibario stimulos bilis, succi enterici involvere, supparem esse actionem, sicubi in sanguinem recipiantur: sic mederi dyscrasiae, diarrhoeae, minui cordis arteriarumque actionem tandemque abusu induci statum gastricum et per sanguinem sedari cerebrum medullamque spinalem.

Haec utut probari possunt, nequaquam tamen

rem explicant, aut chymicam horum remediorum vim tangunt. Nonne in sanguine aliquam mutationem subeunt: an in acidum lacticum mutantur; an materiem praebent oxydationis processui idoneam? Usus therapeuticus in morbis phlogisticis docere videtur, per ea temperari sanguinis crasin ipsumque nimium moderari oxydationis processum, fortasse etiam epithelii desquamationem aliarumque partium decompositionem materiaeque extractivae formationem, quam linguae sordes, sudores, urinaeque turbidae, crudae, quae vocantur, commonstrant.

Ad naturales familias, quae mucum et gummi largiuntur, referimus malvaceas et orchideas. Leguminosarum minus simplex ratio est. Sunt quoque ex algis et lichenibus, unde ejusmodi emollientia quaerunt. Amylacea, oleosa, albuminosa ejusdem census sunt: verum in oleosis quoque spectanda hepatis functio est, quae hisce e corpore subducendis dicata institutaque censetur.

Itaque vero perquam simile est, exuberantem in phlogosibus processum oxydationis remediis illis neutris, quae dicuntur, inhiberi sicque sedari orgasmum sanguinis partiumque irritationem solvique spasticas earundem stricturas: sive ipsis admoveantur, sive mutatus eas alluat sanguis. Eodem principio nititur alimentorum thoracicorum a Liebigio viro cl. praedicata in morbis pectoris salubritas, quae tunc potissimum phthisicis et hecticis prode-

runt, ubi accensus fuerit in corpore processus inflammatorius, unde opus eliminatorium exorditur ad exsudata tuberculosa emollita per tussim et expectorationem e pulmonibus expellenda. Ea tamen utrum in omni phthisi omnique phthiseos stadio praedicanda sint, quemadmodum vulgo a medicis praedicari solent, non facile dixerim. Verum ea quaestio minus hujus loci est inque exercitationibus clinicis aptius tractabitur.

Qualem abusus morbum faciat, rogantibus vobis respondeo, eum, quem mucosum, pituitosum, verminosum nominaverunt, cui tollendo illam febrem vernalem depuratoriam concitat natura, quam leni genere medicinae, refrigerante, acidula, subemetica, evacuante optime curabitis: quod si sponte non fiat, per amaricantia, amara, tonica subinde fieri scitote, quorum in catarrhis chronicis, blennorrhoeis, helminthiasi merita jam proximum est, ut exponamus. Quocirca ab emollientibus nunc progrediamur ad amara.

Horum haec Mitscherlichii interpretatio est. Duo sunt, quae his medicamentis efficiuntur: acceleratur digestio, cohibetur secretio. Acuunt amara adpetitum, incitant motum peristalticum nimisque valentia diutiusve protracta ventriculum intestinaque irritant motusque spasticos cient; secretiones vero cohibent: praecipue tonica adstringentia. An sanguinem subeant, de nonnullis saltem dubium. Incitando digestionem simul hae-

matosin et nutritionem promovent, mutant secretiones et excretiones: ipsam plethoram et diathesin phlogisticam creant; tandem febribus intermittentibus medentur; quod quomodo faciant, hactenus aeque parum novimus, atque harum novimus febrium naturam. Quemadmodum emollientium mucilagineorum similiumque magna est cum cellulosa, adipe, membranis mucosis adfinitas, sic amaricantium, tonicorum, adstringentium cum fibra musculari et membranis musculosis, fibrosis. Praeterea bilis inertis succedanea sunt atque hepatis etiam torpentis stimuli esse jam pridem credebantur. Itaque remedia sunt dyspepsiae atonicae, morbi verminosi, pituitosi, scrofularum, arthritidis, in quibus tamen, ut supra monui, magnas ista methodus habet cautiones: porro blennorrhoearum, quarundam neurosium, praesertim vero intermittentium, quibus tonica adstringentia, ex iisque cinchonas harumque praeparata alcaloïdea opponunt: dum chlorosi et chloroticae sanguinis dyscrasiae emendandae idonea sunt martialia. Igitur musculum intestinalem torpentem, languentemque incitant amara, organicum contextum firmant adstringentia, sanguinem instaurant martialia. Sanguinem an subeant ipsa, nullus dubito: neque de aliis dubitare sinit analogia, quamquam experimentis hucusque res effici nequeat. Principium extractivum amarum per plures multumque diversas plantarum familias dispersum, excrementum vege-

tabile est, in aliis cum acido tannico, in aliis cum principio acri, aut oleoso, in aliis cum mucilagineo compositum et pro hujus compositionis modo variarum virtutum therapeuticarum opifex.

De abusu amaricantium et amarorum, aut reliquorum tonicorum adstringentium, martialium non satis constat. Num ipsa per se phlogisticam diathesin faciant, an per pleniorem corporis nutritionem, ad quam invitant, equidem ignorare me fateor, quamvis ultima haec conjectura mihi verosimilior videatur. Sunt qui amaris narcoticam vim adscribunt (*) quam tamen alii negant. An per sanguinem nervis prosint sicque neuroses intermittentes sanent, an his ipsis sine sanguinis adjumento proficiant, non facile definiri poterit. Num cinchonae sint veneni miasmatici antidota, quae Mortoni opinio fuit, dicere non ausim. Nervis mederi crederes, reputans in aliis neurosibus periodicis efficacitatem: cui tamen obstat observatio, in solis neurosibus a miasmate oriundis certam constantemque remedii vim esse. Caeterum neque adversus scorbuticam dyscrasiam, neque adversus aliam certum est in amaris tonicis, adstringentibus auxilium

(*) An excitando motum deprimunt sensum: ut hoc loco dogma scholae Brownianae de duobus vitae factoribus, nuper renovatum, in reï interpretationem adhibere oporteat? Dummodo de facto constaret, ea conjectura magnam haberet veri speciem.

positum: chloroticae tantummodo respondent ferrum et e ferro parata pharmaca.

Acria primo mucosam aut cutim, cui adponuntur, irritant, nec raro ipsam musculosam tunicam illi adpositam in societatem irritationis trahunt: unde ex iis habentur emetica, cathartica, diuretica, emmenagoga, expectorantia, alia. Porro processum plasticum inhibent, quo titulo antiplastica nuncupantur: nec dubium proinde in humores recipi nervisque organicis vim inferre et per hos actione demum sympathica, deuteropathica irritare cerebrum et medullam spinalem, nisi simul aut narcotico principio polleant, aut oleoso-aethereo: quapropter nisi ab experto medico prudentique tuto administrari nequeunt: id quod vobis ea, quae supra de iis praecepimus, recolentibus memoriaque repetentibus manifestum erit. De iisdem MITSCHERLICH: symptomata sympathica esse a medulla spinali: musculorum debilitatem, spasmos, pulsuum irregularitatem. De nonnullis constare sanguinem ingredi; hunc utrum mutent, hactenus ignotum esse. Potestatem in medullam spinalem dubiam, nisi ex canali cibario irritato proficiscatur. Denique multorum vires solo usu cognitas, nondum per physiologiam aut pathologiam intelligi potuisse. l. l. II. pag. 486. (*).

(*) De resorbtione in sanguinem, ibid. pag. 435 sqq.: de actione physiologica, pag. 430 sqq. l. l.

Narcotica in sanguinem suscipi et per sanguinem nervos sopire creduntur: idque si sua experimentis fides, recte. Haec vero quomodo nervos nervorumque actiones mutent, hactenus latet. Tanta autem ipsorum discrepantia est, ut generali disciplina comprehendi vix possint. Erethismi potissimum remedia sunt: qua potestate cunctis praecellit *opium*, cujus quantopere noceat abusus, docent opiophagi, sensuum animique hebetudine, torpore, extenuato habitu, apathia, miserrima vita proprii veneficii crimen redimentes. Ad singulas regni nervorum provincias pertinere singula, experientia evictum est: utut hac de re multa feruntur conjecturalia. Strychninum et acidum hydrocyanicum, an in systema excito-motorium, quod nuper posuit MARSHALL HALL, propriam vim exerceant, illud excitando, hoc deprimendo, ulteriori examine indagandum erit.

Ordine jam sequuntur medicamenta excitantia, quae congestionem, irritationem nervorumque erethismum efficere dicuntur. Quatenus in sanguinem transeant, de plurimis incertum est idque et de aliis et de resinosis praesertim. Actio in canalem cibarium diversa. Aetheres in sanguinem resorberi videntur. Caeterum accelerant digestionem et functiones reliquas. Inprimis vero cerebrum et medullam spinalem stimulant, nec tamen per vasa, aut sanguinem duntaxat: quandoquidem congestio non semper stimulo definitur. Cum sanguine mixta

pulsum cordis arteriarumque praecipitant, increscit calor, respiratio, urinarum secretio et genitalium et mammarum et cutis: unde anacathartica, diuretica, emmenagoga, galactophora, diaphoretica fiunt, alia aliaque et corporis universi et partium singularium constitutione (*). Nec tamen vero nomine roborantia dicenda sunt, nisi sublatis functionum impedimentis: siquidem excitationem vulgo sequuntur functionum languor corporisque imbecillitas. Videntur enim isthaec remedia excitantia praecipue nervos et per nervos partes reliquas concitare ideoque solis neurosibus esse apta, nec phlogosibus, nec paratrophiis congruere: immo saepius nervorum aegrotantium symptomata, quam morbos tollere: unde et ipsa neurosis nova licet mutataque forma repullulat. Eo autem sensu corpori aegro infirmoque salubria fieri poterunt, quod languentem instaurant innervationem. Nempe sanitatis duo maxime fontes sunt: sanguis et genus nervorum. Illi respondent ea remedia, quibus sanguis debita copia, crasi, motu servatur, huic, quibus nervorum prospicitur energeiae, sive reprimenda sit per narcotica, sive excitanda per nervina. Itaque per haec nervorum torpor excutitur sicque justo singulorum moderamine legitimum restituitur in corpore per rectam atque aequabilem

(*) Cf. Mitscherlich, *Lehrb. d. Arzneimittellehre*, II B. 1 Abth. pag. 22—37.

innervationem functionum omnium et singularum aequilibrium. Quo quidem principio posito poteritis facile et his remediis suum adjudicare pretium.

DE INTERPRETATIONE PHARMACODYNAMICA.

Omnis interpretatio pharmacodynamica, siquidem aliquem habitura sit in arte usum, organica sit oportet, i. e. ab organismo hujusque et processuum praesertim organicorum legibus petita. Hoc consilio alii sagaciores naturae scrutatores legem oppositionis polaricae, sive polaritatis, quam vocant, alii metamorphosium, evolutionum, alii idque nuper, cellularum theoriam invocarunt: quorum laudo studia, reprehendo doctrinam, minus, quam oportebat, universam, neque cuncta vitae phaenomena includentem.

Lex polaritatis viget in chymia ab eaque classificationem electricam, profecto probandam, duxerunt: viget pariter haec lex in chymia organica, nequaquam tamen sufficit explicandis omnibus, quae in corpore organico fiunt. Opus est tertio quodam, continuum excitante motum, haec vis organica, quam hodie perperam repetunt a nervis: siquidem vegetabilibus animalibusque communis est, quae pariter motu agitantur interno. Evolutionum theoria, ab ipso microcosmo mutuata,

sponte ad geneticam cellularum theoriam mentes convertit: nec tamen utraque eo, quo hodie colitan sensu, rem universam complectitur.

Macrocosmo sive organismo naturae includitur microcosmus, sive organismus tam vegetabilis, quam animalis ipseque humanus: hic illius species atque imago est. Alter ab altero pendet sique nostram tellurem spectemus, haec ipsa ratione universi microcosmus est. Summam ideam organismi in Deo, summo numine esse, nec naturam nisi in Deo cognosci posse, sapientiae studiosi confitentur omnes. Hinc cur teleiologicum interpretandi principium, toties relictum, semper de novo instauratum sit, perspicitur: quamquam fines naturae mortalium nemo hactenus adsecutus est, nec facile adsequetur. Illud autem tenendum est, sine Deo naturam constare non posse hancque totam esse in Deo et in Deo cogitari debere. Quam si in Deo cogitemus, non alius nobis erit mundus physicus, alius psychicus, aut pneumaticus, sed idem, et per Dei solius cognitionem ad veram mundi scientiam escendere poterimus.

Idea morbi involvit ideam organismi, integritate laesi, quam integritatem restituit morbi sanatio, cui opitulari debebunt remedia, sive medicamina. Laeditur autem organismi integritas, quam primum singulae partes in unum finem conspirare desinant, atque a reliquis deficiant: nam sanitas demum in toto et integro organismo constat, qui rursus con-

stare nequit, nisi in justo positus sit cum macrocosmo aequilibrio: neque hoc aequilibrium tuebitur homo, nisi vivendo exprimat organismi humani ideam. Haec utrum in uno homine perfecta sit omnibusque numeris absoluta, dubitari utique potest: cum perfectissima illa organismi humani idea, nisi in humano genere universo cogitari nequeat.

Exinde quid de actione physiologica medicamentorum statuere oporteat, perspicitur: quamque ii fallantur, quicunque ab hoc principio physiologico scientiam pharmacologicam exspectent. Differunt namque homines aetate, sexu, temperamento, idiosyncrasia, neque ullus est, qui perfecte sanus et integer dici possit. Ab altera parte ipsum medicamentum non unum neque idem semper, sed perquam varium ac diversimode compositum inque corpore componendum: quas mutationes quam longe absit, quin per chymiam sciamus, rei peritum latet neminem. Neque cogitandum est, medicamenta et morbos sibi esse oppositos: nam et medicamenta morbos facere et morbi medicamentorem vices supplere possunt. Magnam lustrantes morborum cohortem, observamus, singulos nasci, cum ab idea organismi deficiat pars quaedam, aut partium systema: estque hoc nomine sive anima accusanda, sive corpus, seu res externae, non rite cum organismo consonantes; quodsi altius rem repetamus, saepius, quam vulgo creditur, homo sui ipsius morbi caussa est. In physicam hominum

vitam introspicientes, brevi intelligemus, quantopere ab ea simplicitate aberret, quam organismi natura postulare videbatur. Generatur infans parentibus infirmis, aut valetudinariis. Nutritur alimento, nisi pravo (et quis lac muliebre, aut aliud quodcunque semper sanum optimaeque notae habebit, quis pultes laudabit, non ex pane biscocto, uti oportebat, verum ex farinaceis crudis, non fermentatis paratas?) saltem aut nimio, aut nimis parco, neque in tempore exhibito. Aër, quem haurit, crebro inpurus est, nec munditiei, vestitus, somni, motus idonea ac congrua valetudini cura ipsaque nutrix raro ejus est animi morumque aequabilitatis, qua ad alimentum salubre parandum opus est: ne de abusu medicamentorum, sive ad alvum exonerandam, sive ad somnum conciliandum, sive ad acorem primarum viarum corrigendum, sive ad nervorum motus compescendos administratorum, dicam. Verbo ea tetigisse sufficiat. Nam *quidquid delirant parentes, plectuntur liberi.* Dentitionis tempore, quo mutari alimenta debent, illa mutatio vix, uti deceret, tenello infanti adcommodatur: unde digestio, nutritio multis modis pervertuntur. Infantiam sequitur pueritia, qua cum totos dies in scholis transigere atque invita Minerva cerebrum ante musculos et sensus exercitare cogantur, notiones ingenerantur non sponte natae, sed aliunde advectae: ut hoc alimentum psychicum vix melioris notae sit, quam

alterum: nec mirum toties ex hac disciplina scholastica prodire ingenia et corpora scholastica, umbratica. Adolescentiae et juventutis periodo dum spirandi generandique organa sese explicant, nova vitae pericula imminent, a quibus nisi sapiant parentes, prolis valetudo pessumdatur. Quapropter Venerem colant Uraniam juvenes, colant Musas, quicunque liberales vereque humani dici haberique cupiant, neque tempus terant fabulis milesiis, aut ludis illiberalibus, inhonestis. Virilis aetas, quam periculosa sit ingeniis sui amantibus, quis nescit, quamque rari sint vere liberi et veraces vereque beati suaque sorte contenti. Tunc peccata juventutis luunt plurimi, aut a pravis moribus non desistunt, corpus cibis potulentisque onerare, coitu petulantiore perdere, animum studiis, curis, turbis praeter modum fatigare pergunt: a quibus neque ipsi senes abstinent, corpus suum humoribus crudis implentes animumque nimio rerum terrestrium amore a mortis meditatione avocantes. Quae cuncta ac singula reputantibus vobis, an mirum videri poterit, me dixisse, saepius, quam vulgo creditur, homines ipsos suorum morborum caussas esse?

Possent forsitan adposite ad eam, quae hodie viget doctrinam, processus morbosi in duos discerni oppositos: nimirum prosessus electronegativos — phlogoses — et processus electropositivos — neuroses: atque intermedia collocari, tamquam ho-

rum processuum producta, nutritionis, secretionis, excretionis morbosae residua, novis processibus morbosis eliminanda. Nam hoc modo procedere morbus videtur: ut in mucosa aut cute aegrotandi fiat initium, tum chylus, lympha, sanguis inquinentur, tandem alicubi deponatur materies aliena, nova, morbo creata in telas organicas, nisi per colatoria corporis, crisium atque evacuationum criticarum specie, exierit. Sic processus morbosus suis limitibus circumscribitur, localisatur hujusque producta deponuntur in certa corporis loca, atque variis eliminantur modis. Inter mucosam et cutim ubi substiterit morbus, sub catarrhi forma prodibit, aut exanthematis, ad lympham translatus glandularum tumoribus manifestabitur, ad sanguinem scorbuti, chloroseos, melanoseos signis adparebit, ad textum fibrosum, osseum, parenchyma viscerum periostosibus, exostosibus, ulceribus, gangraena, scirrho, carcinomate, fungo.

Nolite putare, me discrimina horum processuum morbosorum vel negare, vel tollere velle. Eo tantum consilio haec proposui, ut uno maximeque generali conspectu morbi processum comprehenderem vobisque adumbrarem. Quo facto jam ad particularia descendere ipsi poteritis atque, duce anatome pathologica, iter institutum persequi.

Nunc pari sub conspectu ponamus processum medicationis generalem.

Processus medicationis incipere solet ab irrita-

tione, congestione, inflammatione, pergit in secretione, excretione, exsudatione, desinit in exsudatorum emollitionem, eliminationem, aut absorbtionem, incrustationem, atrophiam. Adjuvant eundem methodus antiphlogistica primum, demulcens, involvens, deinde evacuans, porro corrigens, alterans, emendans, denique nutriens, tonica, roborans.

Morbus, quamdiu in cute, mucosis haeserit, sive praecavendo veneni admoti absorbtionem: per balnea, lotiones, enemata, diluentia, cauteria, acria, emetica, cathartica, diuretica, diaphoretica, methodo abortiva, quam vocant, in ipso principio opprimi, exstingui poterit: sive irritatio temperari mucilagineis, oleosis, partes irritatas obliinientibus, stimulos involventibus, humores acres demulcentibus: cujus generis sunt primae classis medicamina emollientia. Quodsi renisus excitandus sit, indicabuntur classis secundae: amara, tonica, non cuti et mucosis, sed fibrosis, musculosis congruentia, quibus aliquando addere oportebit aromata, oleoso-aetherea, nervis torpentibus apta. Sin altius penetraverit ac radices egerit malum, per acria vegetabilia, mineralia, quaeque alterantia dicuntur, vitae plasticae aegrotanti subveniendum erit.

Pari genere medicinae utendum est, ubi lymphae vitium corrigendum: in lepra, scrofulosi: quum contra synthesin analysis superet, a nutrientibus, tonicis, ab oleo jecoris aselli, victuque ani-

mali salus speranda. Est ubi intra sanguinem subsistat dyscrasia: tunc succi recentes plantarum, fructus maturi, serum lactis, lacticinia cum thermis, tunc acida vegetabilia, mineralia, tunc e ferro parata et fontes martiales conferent. Exantlato tandem processu morboso, convalescentes roborandi, nutriendi, per alimenta et medicamenta cardiaca, tonica, adstringentia.

Morbos aut, si mavelitis, processus electropositivos vocavimus neuroses, aegritudines nervorum, quorum in moderandis, temperandis, excitandis, sustentandis actionibus muneribusque nota est volatilium, aromaticorum, aut sopientium, sedantium, narcoticorum potestas: quam in multis tamen superabunt balneum aëris puri, sicci, montani, usus aquae limpidae, thermarum fontiumque salubrium, corporis motus in aprico, rusticatio, peregrinatio, quaeque inter humanarum miseriarum summa ac potentissima habeo: fides, spes, amor.

DE PHARMACOLOGIA HISTORICA ET CRITICA.

Erunt forsitan, qui mirentur, me hunc librum inscripsisse: *de Historia Medicamentorum*, cum pharmacologiae compendium esse videatur. His quae respondeam, haec habeo. Earum e numero scientiarum haec nostra est, quae *empiricae* uti

sunt, ita dicuntur. Hae autem empiricae scientiae ita comparatae sunt, ut ab experientia tractae hac maximi nitantur et per hanc plurimum proficiant. Instrumenta, quibus utitur praecipue, medicamenta sunt, quae medico nota sint oportet, ut sciat, quid ab iis jure exspectari possit. Acquiret hanc notitiam cum percunctando et legendo, tum experiundo. Quae quo plenior ei sit, scire potissimum refert, a quibus initiis nata, quae incrementa ceperit sylva medica: nec tantum universa, sed praecipue singulorum medicamentorum historia ei cognita esse debet, quae perpetua traditione docebit, usum legitimum melius semper et adcuratius fuisse indagatum. Jam vero hac via quomodo per seriem experimentorum perque multas medicorum aetates sensim sensimque exploratae sint medicamentorum vires, illud ipsum est, quod hoc libro monstrare conatus sum.

Ne existimetis, quaeso, hanc methodum historicam parum bonae frugis promittere: nam si per eam liceret omnem pharmacologiam commentari, codex nobis paratus esset experientiae omnis aevi. Rem vobis indicabit cinchonae historia: cujus medicaminis eximii usus perpetua ejusmodi traditione empirica magis magisque circumscriptus et definitus est: tametsi medicina theoretica nondum vim miram remedii probabiliter explicuerit.

Verum haec historica perquisitio tum maxime fructuosa erit, cum eadem litteraria fuerit et cri-

tica. Talis vero critica medicamentorum historia adhucdum in piis votis et desideriis numerari debet. Quod ut mecum perspiciatis, agite de ea paulisper disputemus.

Versatur ea ars critica in examinandis testimoniis historicis de remediorum singulorum salubritate. Et hic quidem primo loco cognoscere oportet auctorem quemque, qui de remedio scripsit, quo tempore floruerit, quo loco, quae ejus fuerit doctrina, quae peritia, quam mereatur fidem. Tum remedium quale sit, quomodo exhibitum, qua dosi, quibusnam aliis additis, quamdiu, quibusnam aegris, ex quo morbo, quo morbi tempore laborantibus, quo vitae regimine, quali tempestate anni, constitutione endemica, epidemica, verbo quibusnam quidem rerum conditionibus: quas res singulas et universas debemus habere perspectas, si rectum de remedio quodam judicium ferre velimus. Videtis, quanta sit reï et magnitudo et difficultas quamque multa supersint in ea rite absolvenda. Atque talibus demum tantisque laboribus exantlatis jactum est scientiae medicamentorum theoreticae fundamentum. Quae cum cogitemus, nequaquam faciemus cum iis de re medica scriptoribus, qui sine hoc fundamento empirico condi posse pharmacologiam, opinantur.

Itaque primo conquirendae sunt traditiones de remediorum viribus methodo historica ea, quam memoravimus. Tum critices sanioris instrumento re-

mediorum historia collustranda est: ut legitimus exinde ipsorum efficiatur usus, quem his demum praemissis poterit tandem theoria interpretari. Est igitur haec interpretatio theoretica ultimus scientiae finis, quem sine studiis historicis et criticis nemo consequetur. Quapropter errare mihi videntur, qui sine his studiis pharmacologiam veri nominis sibi exoptant: talem scilicet, quae medico hanc professionem salutarem exercenti utilis futura sit. Etenim non artem ex scientia, sed scientiam ex arte proficisci, historia testis est.

His positis principiis, quid de nonnullorum recentiorum ratione statuendum sit, intelligitur, qui spretis traditione et experientia, fundamenti empirici loco substituere fundamentum theoreticum conati sunt. Ego quid alii censeant, nescio, mihi autem parum considerate ii agere videntur, qui rebus factis praeponunt conjecturas. Nam usus artem docuit, usus regulas artis posuit, usus suum remediis et locum constituit et pretium. Hac mente interpretor BAGLIVIUM: » Medicinam non ingenii humani partum esse, sed temporis filiam. — Definiri posse vim cognoscentem, videntem et explicantem ex iis, quae longo tempore animadvertit diversa morborum genera hisque non ex probabili quadam hypothesi remedia adhibentem, sed ab artis divinae praescriptis longo usu comprobatis perpetuam medicinam petentem. Neque in humani profecto ingenii acumine sitam esse artem prae-

stantissimam, quam diligens, accurata et sagax notatio naturae atque animadversio peperit; sed potius variis cujusque aetatis doctorum laboribus coacervatam sapientiam dicendam esse hominumque multorum mentem in unum quasi collectam." Est autem, quem hoc loco redarguit error, praecipue juniorum medicorum, aut eorum, qui scientiarum deliciis plus delectantur, quam laboribus studiisque practicis, quorumque ingenia theoretica magis, quam practica artem deserunt, ut scientiam amplectantur.

DE PHARMACOLOGIA EXPERIMENTALI.

Ex duabus methodis cognoscendi naturam rerum, alteram per observationem, per experimentum alteram, priori relicta, posteriorem excolere fere unam solent medicinae reformatores. Sic nobis nata est physiologia experimentalis, pathologia experimentalis et experimentalis pariter pharmacologia. Hanc judicio critico submittere eo magis oportet, quo magis sola rerum magistram ac dominam se esse gestit. Nam si quae observatio docuit quaeque traditione didicimus, abjicienda sunt, jure nostro petimus, nos medici practici, ut organon nobis tradatur sive instrumentum, ad artem faciendam habile et aptum.

Secundum methodum experimentalem, ut de po-

testate medicata alicujus materiae constet, vel animalibus isthaec ingeritur aut admovetur, vel hominibus, hisque vel sanis, vel aegris. Quae animalibus ingesta docuere, per analogiam ad homines transferri debent, pariterque, quae hominibus sanis ingesta admotaque effecerunt, ad homines aegros traduci. Ab adplicatis medicamentis quomodo functiones mutentur, qualis sanguinis sit mixtio et humorum excretorum, explorant. Hic biochymia seu chymia organica nobis amanuensis adstet, quae per analysin monstret, quaenam principia, quo loco, qua miscela in corpore corporisve humoribus reperta sint.

Ex omnibus, quotquot novimus, reagentibus, nullum profecto reagens subtilius est corpore hominis organico. Hujus corporis biochymia vixdum inchoata est. Non loquimur de analysi cadaveris, aut humorum mortuorum: chymiam corporis organici nobis cognitam postulamus vivam, quae profecto rudem nostram chymiae scientiam longe superat. Praeterea in experimentis comparatis, i. e. iis, quae in animalibus facta sunt, desideramus symptomata subjectiva, quae in iis, quae facta sunt in hominibus sanis abundant: nec tamen meliori abundant spe verum inveniendi. Supersunt experimenta in aegris, quae sin magna fiant religione atque circumspectione, honesto nomine viroque liberali indigna sunt. Atque isthaec pharmacologia experimentalis, quam vobis exposuimus,

quae quam manca sit et imperfecta, norunt omnes non dico scientiae, sed *veritatis* amatores: haec igitur pharmacologia nobis traditur instrumenti titulo habilis, apti, cujus possessione beati, facile careremus omni observationis medicorum principum traditione. Equidem gaudeo impense et laetor, tot tantaque incrementa cepisse scientias, cum alias, tum hanc nostram: gaudeo inprimis et laetor, magis magisque ab idolis idolorumque cultu liberari veritatisque amore ac studio duci homines: nam *in veritate libertas*; sed lugeo multorum hominum temeritatem, qui puerorum adinstar, unica moti gratia novitatis, prae novo ludo veteres cunctos aspernantur. Nequaquam infitior et alteri pharmacologiae historicae deesse plurima. Verum illud contendo, sine hac traditione et observatione pharmacologiam constare nullo modo posse; cui ita altera illa experimentalis adjungenda est, ut ejus, quantum per ipsam fieri possit, desideria expleat. Nec cogitetis veterem illam traditionem experimentatoribus nostris inutilem futuram. Nam iis dux esse poterit, quae quo consilio, quo fine institui debeat experimentum, sive ad refellendum, sive ad confirmandum, sive ad emendandum, monstrat.

Itaque scientes, quid ante nos egerint majores, haud ignorabimus, quomodo sit progrediendum, nec temere a via abducemur. Nam est sane haec methodus experimentalis nec levis, nec cuivis facile comparanda. Adcuratam nempe postulat no-

titiam experimentorum prius factorum. Quid in his experimentis vel laudandum, vel redarguendum: sub quibus facta sint conditionibus, quoties repetita, quam subtiliter, quam diligenter, quam religiose (i. e. quo animo) sint instituta, scire oportet. Haud vulgare poscit acumen ingenii summumque judicium, ut ex iis recte concludere, ut eorum sermonem intelligere, ut rite ea interpretari possimus. Et ne hoc quidem multorum hominum, aut multorum experimentatorum est: eorum minime, qui partium studio ducti, systematis amore instigati, aut adversariorum odio moti, hac experiundi methodo abutuntur. Videlicet nulla fallacior ars est, quam dialectica isthaec, aut potius sophistica, quam aut ad suam sententiam defendendam, aut ad refutandos adversarios administrant homines disputationum amantes.

Quapropter vos, o amici! nolite sine critico judicio pharmacologiae experimentalis placita sequi: sed potius ad medicorum observationem vos artemque vestram componite, quae si cum experimentis consentiat, per haec etiam proficietis; sin ab experimentis dissentiat, his non tantum tribuite, ut illius monita atque praecepta spernatis. Nam observatio medicorum est tanquam vox medici senioris, post vitam in artis usu transactam, quam quicunque audiunt juniores, sibi vitam efficient longam artemque brevem et minus fallax experimentum, minusque difficile judicium. Itaque praece-

dat oportet pharmacologia historica, sequatur pharmacologia experimentalis. Sit illa viae dux et auctor disciplinae: haec vero traditionis tam veteris, quam novae interpres. Sic naturae servabitis ordinem, quem, me saltem judice, invertunt, qui pharmacologiam experimentalem constituunt rerum dominam, ad cujus decreta pharmacologiam historicam cogunt sese conformare.

DE CLASSIFICATIONE MEDICAMENTORUM.

Systema naturae, quod magnus somniaverat LINNAEUS, neque ipse adsecutus est, neque adsecuti sunt posteri. Falleretur tamen, qui quia imperfectae sunt ejusmodi rerum naturae adumbrationes, omnem hanc systematicam naturae contemplationem nullius omnino utilitatis putaret. Nam et memoriae subsidium est et adminiculum scientiae. Ecquis vestrum omnem hanc sylvam medicam, ne de aliis disciplinis naturalibus loquar, mente complecteretur, nisi quaevis essent suo loco disposita. Atque hoc ipsum classificationis m us et officium est.

Distinguitur vulgo inter systemata artificialia et naturalia, illaque his praemittuntur: quoniam illis initia prima, his scientiae finis videbatur contineri. Prima eaque infantilis classificatio est alphabetica, qua et olim usi sunt et hodie, quod miror, utuntur codicum pharmaceuticorum auctores. Hoc pacto

pharmacorum existunt catalogi, lexica, repertoria, methodo omnium minime methodica, aut liberali.

Ab hac proxime distat practica classificatio, quae artis est et medicorum in arte versantium. Sequuntur botanica, chymica, physiologica atque compositae ex his, quae theoriam magis spectant et scientiam.

Murray v. cl., Linnaei ad exemplar, botanicae classificationis specimen edidit, in quo, ut ipse monet, seriem naturalem in vegetabilibus amplexus est. En hujus classificationis schema!

Coniferae.	Verticellatae.
Amentaceae.	Personatae.
Compositae.	Rhoeades.
Aggregatae.	Putamineae.
Conglomeratae.	Siliquosae.
Umbellatae.	Papilionaceae.
Hederaceae.	Lomentaceae.
Sarmentaceae.	Multisiliquae.
Stellatae.	Senticosae.
Cymosae.	Pomaceae.
Cucurbitaceae.	Hesperideae.
Solanaceae.	Succulentae.
Campanaceae.	Columniferae.
Contortae.	Gruinales.
Rotaceae.	Caryophylleae.
Sepiariae.	Calycanthemae.
Bicornes.	Ascyroideae.
Asperifoliae.	Coadunatae.

Dumosae.
Trihilatae.
Tricoccae.
Oleraceae.
Scabridae.
Vepreculae.
Palmae.
Piperitae.
Scitamineae.
Liliaceae.
Ensatae.
Orchideae.
Tripetaloideae.
Calamariae.
Gramina.
Filices.
Musci.
Algae.
Fungi.

Alterius partis, quod regnum minerale comprehendit, a GMELINO editae, distributio haec est.

I. Terrae et lapides.
II. Salia acida, neutra.
III. Corpora inflammabilia, mineralia.
IV. Corpora metallica.

Cl. VOLTELEN, practicam divisionem secutus, hunc in modum distribuit res medicatas:

I. VEGETABILIA.

1. Farinosa, Mucilaginea.
2. Aquosa, Subdulcia.
3. Pinguia, Oleosa.
4. Dulcia, Viscosa.
5. Acido-dulcia et Acida.
6. Alcalina Vegetabilium Salia.
7. Media Salia Vegetabilia.
8. Austera Adstringentia.
9. Amara et Amaricantia.
10. Aromatica, Balsamica.
11. Acria, Caustica.
12. Amara et Acria, Emetica et Cathartica.
13. Acria virosa, Narcotica.
14. Vinum et Spiritus ardens.

II. FOSSILIA.

1. Terrae.
2. Alcalina Salia.
3. Salia Acida.

Reliqua desunt.

Cl. VOIGTEL classes statuit XXV, quae sic se habent.

I. Aquae, thermae, fontes medicati.
II. Mucilagines.
III. Amylacea.
IV. Gelatinosa.
V. Albuminosa.
VI. Saccharina.
VII. Pinguia.
VIII. Resinosa.
IX. Resina elastica.
X. Amara extractiva.
XI. Adstringentia.
XII. Acria.
XIII. Narcotica.
XIV. Olea aetherea.
XV. Camphora.
XVI. Empyreumata.
XVII. Aetheres.
XVIII. Phosphorus.
XIX. Sulphur.
XX. Carbo.
XXI. Acida.
XXII. Terrea.
XXIII. Alcalia.
XXIV. Metalla.
XXV. Salia.

RICHTERI divisio haec est:

1. Mucilaginea.
2. Farinosa.
3. Gelatinosa.
4. Albuminosa.
5. Saccharina.
6. Amara.
7. Aromatico-amara.
8. Adstringentia.
9. Resinosa.
10. Acria.
11. Narcotica.
12. Volatilia.
13. Sulphur.
14. Carbo.
15. Alcalia.
16. Terrea.
17. Acida.
18. Salia.

19. Metalla.

Cl. SOBERNHEIM classes condidit numero octodecim.

1. Narcotica.
2. Acria.
3. Resinosa.
4. Aethereo-oleosa.
5. Ammonium.
6. Spirituosa.
7. Acida.
8. Salia.
9. Metalla.
10. Jodica.
11. Sulphur.
12. Carbo.
13. Kalina.
14. Amara.
15. Adstringentia.
16. Mucilaginosa.
17. Pinguia.
18. Saccharina.

Celeberrimus de pharmacodynamice scriptor VOGT physiologicam probans divisionem, classes fecit III.

I. Medicamentorum, quae in systema nervorum agunt.
II. Quae agunt in systema irritabile.
III. Quae agunt in systema vegetativum plasticum.

Suppar est divisio cl. DIERBACH, magis tamen composita et mixta. Ecce schema!

I. Materia medica alimentaria.
II. Emollientia, lubricantia, mucosa.
III. Secretiones gastricas incitantia, laxantia.
IV. Diaphoretico-diuretica.
V. Medicamenta tunicae mucosae secretiones augentia, vel mutantia.
VI. Medicamina tonica et roborantia.
VII. Medicamina sti-

mulantia, incitantia.

VIII. Medicamina sedantia, mulcentia.

IX. Medicamina refrigerantia, temperantia.

X. Medicamina terrea, alcalina, c. contenta chemico modo mutantia.

XI. Medicamina dissolventia, antiscrofulosa.

XII. Medicamina metasyncritica.

Nuper denique cl. MITSCHERLICH classes posuit sequentes:

I. Medicamenta tonica.

II. Medicamenta emollientia, nutrientia.

III. Medicamenta excitantia.

IV. Medicamenta acria.

Caetera nondum prodierunt.

Cernitis principium classificationis botanicum cessisse chymico, ita tamen ut cum hoc practicum fuerit diversimode compositum idque etiam in systemate et classificatione a v. cl. MITSCHERLICH proposita. Ejusmodi et ipse tradidi medicamentorum distributionem, initium faciens a mucilagineis, ab his ad amara, adstringentia, acria, narcotica, excitantia progrediens inque fossilia sive mineralia desinens: terrea, alcalia, acida, salina, metalla, jodium. In qua quidem expositione praecipue practicam sectatus sum utilitatem, qualem vobis artem facturis maxime fructuosam fore opinabar. In ea enim versor opinione, institutionem ad medicinam talem esse oportere, qualis huic nostrae professioni salutari futurisque scientiae practicae cultoribus convenit.

ADNOTATIONES HISTORICAE ET CRITICAE CIRCA USUM REMEDIORUM NERVINORUM.

Opinor fore multos, qui meam de therapeutice neurosium doctrinam, qualis proponitur in libro *de Arte Medica* altero, Parte secunda, comparantes cum iis, quae in hoc libro de remediis nervinis disputavi, existimabunt, me aut mihimet ipsi repugnantem, aut varium perquam esse et mutabilem. Hi reputent velim, aliud quid esse, traditionem medicam referre, aliud quid, tirones docere artem. Nempe nullum fere medicaminum genus est, quod tantam jure suo postulat artis peritiam, ut methodo legitima tractetur, quam hoc ipsum. Idcirco mei officii arbitratus, hanc tractandi methodum limate describere, historiam criticam adhibebo illius interpretem.

Inter veteres praecipue pneumaticos fuisse, qui medicamentis nervinis utebantur prius, alio loco docui. Pneumaticos aetate media secuti sunt medici Arabes. Majorum tandem et patrum memoria methodus illa nervina, quam vocant, magis usque excoli et perfici coepit. Doctrina medica, constitutio epidemica, cultus ingenii, vivendi genus et mores et reïpublicae Europaeae status ecce caussas praecipuas, quibus factum est, ut cum neurosium numero incresceret et numerus et usus medicaminum analepticorum, antispasmodicorum, stimulantium!

Quando in morbis nihil aliud spectamus, nisi processum vitae abnormem, uti hodie moris est, huncque processum functionum turbis cerni statuimus, aut ut aliis minus eruditis placet, ipsas functiones morbosas morborum nomine dicimus, artem medicorum vulgarem versari videbimus in functionum impedimentis tollendis idque triplici praesertim modo: antigastrico, antiphlogistico, nervino. Prior Veterum fuit, alter Anatomicorum, Francorum maxime, tertius Germanorum. Cuique suus est et locus et tempus. Nam sive impuris crudisque humoribus intestina opplentibus, sive sanguinis multitudine cursuque turbato, seu denique innervatione inordinata vitae processus organicus a typo deflectit: quibus sublatis functionum impedimentis, tam evacuantibus, ad officinam primam et ventrem adpellentibus, quam antiphlogisticis ad pectus visceraque thoracica, aut tandem nervinis ad axin cerebro-spinalem, legitimus revertetur vitae actionum munerumque tenor. Itaque qualia antiphlogistica sunt, aut antigastrica respectu functionum nutritionis, sanguificationis, circulationis, talia sunt nervina respectu innervationis: amovent videlicet functionum turbatarum caussas, in ipsis nervis haerentes, ut priora illa eas tollunt, quae in officina prima, aut circulationis instrumentis haerent. Ante vero, quam nervina, quae diximus, remedia admoveantur, caute admodum circumspiciendum est, utrum non alia

subsit caussa sive in systemate gastrico, sive in sanguine nervorum officia ac munera pervertens: quae auferenda est, sicubi subfuerit, ut certior fiat medicus, solam innervationem esse accusandam inque hac sola esse functionis abnormis culpam. Cui praecepto si obsequatur, plerumque reperiet, nervorum aegritudines sua sponte cessare, neque opus esse nervinis. Hac methodo problema practicum ad suam revocabitur simplicitatem. Atque eandem pridem principes medicorum solebant probare et sequi. Ut alios taceam bene multos, citabo Tissotum, praeclarum de morbis nervorum auctorem, qui corpus plethoricum epilepsia vexatum, vena secta deplebat, ipsum ad vim valerianae antiepilepticam praeparaturus. Dudum notus est ille corpus praeparandi modus in curatione neurosium intermittentium, nec latuit veteres psychiatriae cultores: cujus rei abundant in eorum scriptis testimonia. Postquam igitur, sublata morbi complicatione, superest nervorum aegritudo, huic per medicamina propria mederi conabitur medicus.

Tum autem perquirendum est, quamnam nervorum provinciam occupet huicque aptanda medicina est. Nam licet sint, qui dubitent, singulis nervorum conjugationibus, aut plexibus, aut systematibus singulas respondere medicinas, tamen numerosa pericula hac de re dubitare nos vetant. Equis ignorat vim vini et aetheris et opii in cere-

brum, nucis vomicae in spinae medullam, digitalis in plexum cardiacum, belladonnae in pupulam, secales cornuti, sabinae in uterum, asae foetidae, castorei in canalem cibarium, quae manifestant singularem prorsus inque singulas nervorum provincias directam horum medicaminum actionem.

Nuper in puella peculiares illas vires horum medicaminum expertus sum, cujus neuroses, quum nova semper forma prodirent, variis remediis expugnatae sunt, eo quidem eventu, ut admota propria singulis remedia continuo in novas species mutarent nervorum passionem, donec tandem naturae beneficio, per febrem penitus ab omni malo liberata omnisque aegritudinis expers perfecte convaluerit. Id nempe haud semel observavi, per nervina isthaec remedia neuroses in novas continuo transire formas, perennante statu nervoso. Quapropter in eam veni sententiam, medicationem illam per nervina saepenumero magis symptomaticam esse, quam vere therapeuticam: hanc autem nisi mutato prorsus omni genere vitae, perfici nullo modo posse. Neque haec hanc solam duntaxat tangit, verum ad omnem omnino artem pertinet, quam si corporis animique regimen negligant inque auxiliis therapeuticis unicam spem collocent, saepissime vanam experturi sunt medici. Nam, ut in neurosibus maneamus, de quibus hoc loco verba fiunt, aequabili tantummodo partium exercitatione generis nervorum aequilibrium serva-

tur hujusque regulae contemptus quam plurimarum neurosium uberrimus fons est. An igitur medicamina nervina prorsus proscribenda sunt? Minime gentium. Profecto si vel constiterit, quod hactenus nondum constat, ea medicamina nulli neurosi vincendae paria esse, hoc tamen magni existimandum foret, prostare et suppetere nobis talia auxilia, quibus aut inducias impetrare, aut nervis singulis nervorumque systematibus opitulari, onere eos levare, dolore liberare, feriandi tempora iis concedere, otiantes hebetioresque excitare, tumultuantes, inordinatos regere omnibusque imperare valemus. Ejusmodi moderamen sane haud vulgaris artis est, nec parvi consilii peritumque poscit artis professorem; verum ob id ipsum majori studio animique contentione anquirendum. Non deërunt iis, qui in scriptis medicorum principum versati sunt, doctae hujus artis exempla.

Quemadmodum vero rerum optimarum pessimus abusus esse solet, sic et methodo nervina vulgus medicorum abutitur plurimum. Iste abusus, quamvis vigente ac dominante Brownii doctrina fuerit maximus, nostro tamen tempore, quo haud pauci antiphlogistica methodo abutuntur, nequaquam desiit. Nam, ut alii depletionum et numero et magnitudine et tempore peccant, ita plures peccant stimulandi temeritate. Qua evenit, ut artificialem erethismum creent primum, aut statum spasticum, deinde artificialem pariter narcosin, aut paralysin.

Scilicet in admovendis remediis nervinis hoc praesertim cavendum est, ne stimulus major adhibeatur, quam opus est, neve diutius, quam par est, protrahatur reï stimulantis actio, aut praeter modum redintegretur. Quamobrem primum medici officium est, quum id generis stimulantia praescripserit, aegrotantem saepius visitare idque brevi temporis spatio interposito, neque cito nimis repetere eorundem usum. Mirabimini mecum, hoc praeceptum obsequuti magnam minoris parciorisque stimuli potestatem. Equidem saepenumero hujus parsimoniae salubritatem in typho expertus sum: expertus sum in chronico etiam neurosium genere. Meminisse praeterea juvat cumulativam quorundam medicaminum vim, cum ab aliis, tum ab Anglis praecipue medicis notatam.

Est et alter error medicorum hoc loco redarguendus, quo ad nova semper remedia transsiliunt, quamprimum ante praescripta spem fefellerint. Unde fit, ut omnem exhauriant supellectilem medicam idque tempore quambrevissimo. Raro perquam in neurosibus medicandis festinandum: quod si sit, ne temere fiat, sed lente, saltem prudenter. Nos medici physicorum imitemur patientem industriam, qui mensura et pondere et numero quaevis definiunt, nec nisi ponderatis perpensisque singulis et universis conditionibus, experimenta faciunt eademque tamdiu repetunt, donec reï, quam quaerebant, certiores facti sint.

Tertius error est inconcinna formularum compositio. Hunc maxime vulgarem, non tantum vulgarium medicorum, sed vel clarorum in arte virorum si dixero, vereor, ne iniquus vobis videar, aut morosus aliorum meritorum judex. Vera tamen me scripsisse, tum ipsi per vos intelligetis, quum formulas magistrales lustraveritis, a magni nominis medicis perscriptas: quarum plures memorantur et laudantur non tantum ab antiquioribus de pharmacologia scriptoribus, verum etiam ab iis, qui nuper eam commentati sunt. Inspicite quaeso, ut alios mittam, celeberrimorum virorum SOBERNHEIM et PHOEBUS libros, multis dotibus excellentes, nec desiderabitis hujus erroris specimina. Verum de his mox sermo erit, quando de formularum medicinalium historia deque critica in iis dijudicandis ponenda opera dicendi erit opportunitas, quod referam in locum proxime sequentem.

DE HISTORIA FORMULARUM MEDICINALIUM ET METHODI EAS CONCINNANDI.

Uti nulla non est pars disciplinae nostrae, quam non lustravit emendavitque magnum BOERHAAVII ingenium, ita hanc etiam, quae est de formulis medicamentorum, perfecit plurimum. Quod qui cognoscere cupiant, inspiciant quaeso: HERMANNI BOERHAAVE, *Libellum de materia medica et reme-*

diorum formulis, quae serviunt Aphorismis de cognoscendis et curandis morbis, conferantque formulas Boerhaavianas cum medicorum practicorum formulis ea aetate solennibus maximeque acceptis. Cohaeret hicce libellus cum aphorismis, quibus praeclarus medicinae classicae auctor omnem temporis praeteriti experientiam et sapientiam brevi compendio complexus est. Hanc tantam ingenii magnitudinem nostris temporibus nostrosque homines latere haud mirabimini, quibus ignotum videtur, medicinam generi humano coaevam prae reliquis cunctis empiricam scientiam dici haberique debere: cujus recte faciendae *sapere* est principium et fons. Prae reliquis autem sapient illi, quibus non perit experientiae mundanae fructus quique nec sibi solis sapere videntur.

Boerhaavius quanta religione, quanta in suos pietate in hac quoque tradenda disciplina versaretur, sequentia docent viri verba: »Quum discipulis deberem exempla, praescripseram ideo in privatos horum usus pauca de materia medica hujusque ordinandae legibus, tantum ut serviant iis, qui intento me animo audiverant disserentem in scholis domesticis de occasione, qua sola utilia evaderent.

Estis vero idonei vos testes, quanta circumspectione utar, quam saepe taediose fere ad fastidium usque minutiorum consideratione odiosus sim, priusquam vobis titulo *medicamentī* vel minimum

quid laudare ausim: pulchre gnarus, nihil dari, quod ubique bonum; contra vero id, quod hac rerum facie salutare fuerat, mutata conditione perniciosum saepe deprehendi.

Nefas itaque putavi *medicaminum* nomine haec ipsa evulgare, sed cum admonitione severa modo describenda dare his, qui operam mihi sedulo dederant pro tenuitate mea idoneas cautelas inculcare conanti. Sed quod doleo, longe aliter evenit: me quippe nec consulto, nec volente, in usus publicos extundenda curavit haec Londini vir eruditus, alte nimis de vili hoc opusculo ejusque auctore sentiens et scribens; neque tamen ita res gesta, quin errores simul bene multi et noxii in edendo contigerint.

Coactus itaque recensui, correxi, amplificavi nonnulla: unde describendi labore levati, iis utamini. Audacter interim et moneo fideliter morbi historiam fideliter edocti, scrutati materiae medicae noxios aeque ac effectus salubres, ita demum auxilii utilis bonitatem affectetis assequi: caeteris nocebit magis quam proderit, quidquid hoc opellae est."

Erat igitur Boerhaavii libellus adpendix aphorismorum ab eo editorum, neque ab historia morborum separatus. Alia fuit ratio Libelli: *de methodo concinnandi formulas medicamentorum*, conscripti a Boerhaavii discipulo Hieron. Dav. Gaubio, in quem tamen ita praefatur auctor, ut summi

optimique praeceptoris mentem agnoscas. Cogitabat nimirum sibi parare instrumentum, quo in difficillima hac exercitii practici parte uti liceret. Quapropter in adversaria conjecit omnes, quas de singulari quavis formularum specie conditas inveniebat regulas, his dein junxit, quotquot occurrebant exceptiones, ac tum ex utrisque inter se collatis, facto moderamine, generalia sibique clariora deduxit theoremata. Sic enatum opusculum, suis tantum usibus destinatum, postea docendi munus aggressus in usus discipulorum elaboravit ediditque atque perpetuo, quoties nova editione opus esset, perfecit.

Itaque GAUBIUS, quem pathologiae dogmaticae parentem jure merito celebrant, hujus quoque doctrinae parens dici meretur, quam ita fundavit, ut qui adcuratam illius sibi optet cognitionem, hunc adeat ante alios, oporteat.

Artem formulandi docturus in priore editione depromserat ex materia medica celeb. viri H. BOERHAAVE pleraque eorum speciminum, quibus ad illustrandas singularum formularum historias opus erat: idque potissimum, quia vix alium noverat auctorem, qui in determinando remediorum a se praescriptorum usu legitimo ac tempestivo fuisset solicitior. De quibus in nupera Francofurtana Editione monuerat erudit. D. W. TRILLER in adhibendis evacuantium formulis Boerhaavianis circumspectione utendum: quorum largiores doses Batavorum,

quam Germanorum corporibus essent adcommodatae. Quam admonitionem suam faciens GAUBIUS, serio medicis inculcat, ut celeberrimorum quoque in sua regione practicorum exempla perpetuo ante oculos habeant usuque tandem discant, popularium suorum naturae sua adcommodare remedia. » Quod dum facio, sic pergit, nolim tamen quis existimet, probare me trepidantem ac saepe ridiculam illorum solertiam, qui aut naturae αὐτοκράτεια nimium freti, aut de facultatibus remediorum plus, quam in iis est, sperantes, aut denique, ne quid turpius dicam, indicationi, quam suo modo constituerunt, diffidentes, minutulis adeo dosibus curationes aggrediuntur, ut abstinentia potius extenuare, quam data opera jugulare velle morbum videantur, certe nescias agantne, an ludant in re seria vincive, an vincere malint. Laudo ac veneror medicum circumspectum et cautum suo loco et tempore cunctatorem, et sapientem naturae ministrum, qui temerario ausu nunquam praecipitetur, nec farragine remediorum gravet, multo minus violentia opprimat: attamen cordatum quoque ac intrepidum, consilii prudenter capti certum et qui agendi opportunitates gnave rapiat cumque agendum est, idoneum nodo cuneum adhibeat, nec dubiae stillicidii continui actioni committat, quod virtute majore tutius citiusque impetrare potuisset. Gravius quidem et evidentius, at rarius tamen enormi dosi peccatur: longe puto frequentius in

contrarium, nec minore semper cum detrimento aegri. Si sanare morbum tuae curae creditum potuisti, nec sanasti tamen, quidquid ex eo mali deinceps consequitur, tuae negligentiae recte imputabitur. Inest in quovis remedio certus virium gradus modusque: inest et suus unicuique morbo: quin vivum etiam corpus sua pollet facultate, qua rebus cum morbosis, tum medicatis, utrisque nimirum mutationem intentantibus resistit. Itaque sicubi remedium non ea porrexeris quantitate, ut superare morbum possit, pusillum, quod dederis, aut natura subiget, aut morbus suffocabit. Quod cum in omni medicamentorum genere locum habere et ratio suadeat et experimenta evincant, credibile profecto est, inter plurimas causas, ob quas multoties morborum curationes aut lentius procedunt, aut plane incassum cadunt, hanc etiam jure numerandam esse, quod remedia, caeterum opposite, prae medici timiditate aegrive fastidio, qua decet, quantitate non adhibeantur. Et quis in dubium vocet, idcirco etiam multarum rerum specificas, quas dicunt, virtutes nos latere, quia nunquam suis dosibus propinantur? Istud saltem persuasissimum habeo, bonam partem felicissimorum successuum, quibus tantam in praxi celebritatem suo merito consecutus est vir summus Boerhaavius, ex hoc etiam fonte profluxisse."

Boerhaavianae materiae medicae ea fuit cum disciplina practica cognatio, ut altera alterius esset

supplementum. Paullo alia fuit compendii Gaubiani ratio. Is enim propriam condidit formularum medicinalium doctrinam, in qua post traditam methodum universam, de singulis formularum generibus seorsum exposuit ac speciminibus editis exemplorum copia rem illustravit.

Hunc GAUBII libellum si cum eo, quem nuper conscripsit PHIL. PHOEBUS vir. doct. de eodem argumento conferre placeat, quot quantaque incrementa ceperit haec quoque disciplinae nostrae pars, elucescet. Nec minus tamen medicinae tirones ea, quam vivimus aetate, adsentientur GAUBIO fatenti: »ex quo ad medicinam faciendam animum adplicare coepi, inter caetera quidem maxime illa me torsit operis pars, quae remedii inventi eam postulat descriptionem, qua et concinne respondeat indicationi et rite ab iis, id qui negotii sibi adsumpserunt, praeparari, aegroque apte adhiberi queat."

Ex hac difficultate alii alio se expediunt modo. Multi miscendo quadrata rotundis risum movent pharmacopolis. Alii paucas modo formulas ex libris, vel ab aliis medicis depromptas proferunt, ad quarum modulum quoscunque tractant morbos, sese componere cogunt. Alii, nec pauci illi, quam ignorant artem, contemnunt atque venaesectionibus hirudinibusque et similibus auxiliis, partim chirurgicis, partim diaeteticis omnem medicinam comprehendunt. Ea negligentia eo minus condonanda est, quo magis et arti obest et aegro

quoque majori diligentia diagnostice et semiotice ab aequalibus nostris coluntur: quandoquidem morbi sanatio aegrotanti potior est, morbi cognitione. Atque eam ob caussam ingens sit oportet medici practici supellex: non quidem ut aegrum remediis obruat, verum ut ex tantis copiis aptus atque idoneus fiat singulis delectus. Qua de re disputans vir experientissimus MARSHALL HALL: »non possum, inquit, quin exemplis sententiam meam explicem, altero viri doctissimi BAILLIE, altero viri perillustris HENR. HALFORD, quorum prior acumine diagnostico excellens, in altera parte deficiebat, posterior hac arte diagnostica illi inferior, in therapeutica parte, inventionis ingeniique fertilitate et felicitate regnabat solus. Quae inventio, utut scientiae minus prodesse existimabitur, artem tamen miseris mortalibus commendabit plurimum."

Quod in formula medicamenti ante omnia quaerimus, illud est, ut simplex sit duntaxat et unum. Quae quidem formulae simplicitas et sobrietas non tam numero ingredientium, quam consilio et elegantia compositionis cernitur, ut rei peritum doceat ab artis magistro esse profectam. Nam formulae medicamentorum ecquid aliud sunt, quam artis ingeniique artem facientis expressae imagines, quas cum videmus, et ipsi ad artem instituimur. Quae cum ita sint, intelligitis, quot quantaque sint, quae in ea quoque medicinae parte desiderantur. Sed simul intelligitis, quanto opus sit judicio, ut

de methodi deque formularum tam officinalium, quam magistralium pretio recte statuatur. Nam si universa disciplina nostra critices opera cum maxime indigeat, in nulla sane illius parte majoris existimanda est, quam in ea, quam hoc loco volumus.

Hujus critices specimen edidit Jo. Clem. Tode vir. cl., in quo formulas aliquot principum medicorum, suppresso nomine, ita redarguit, ut quid ipse in formula eleganti et apta requirat, diserte monuisse videatur illudque praesertim cogitasse, ut ars illa veri nominis salutaris ad suam revocaretur et simplicitatem et sobrietatem. Ipse autem in dijudicandis formulis illis partim pharmaceuticas dotes, partim dotes practicas spectavit, quas in iis ita conjunctas optabat, ut per eas, nisi cito, at tuto tamen et jucunde aegrotantes curari abs medico, in artis opere versante, possent. Et profecto hoc in votis est, ut professio nostra salutaris hominibus aegris quam minimum aut taedii creet, aut incommodi et molestiarum.

Nec tamen studium laudans operisque consilium, auctorem ita rem peregisse censeo, ut ipse omni culpa vacaret quodque cogitabat, perficeret. Nam neque in laudibus aquae laxativae Viennensis me habebit consentientem, neque in verbis asperioribus, quibus alios increpat. Majoribus nostris in proverbio erat: *fortiter in re, sed suaviter in modo;* quod, utinam nos omnes, quotquot censorum et criticorum munere fungimur, memoriae animo-

que haberemus insculptum! Sic acumen judicii minus offenderet, si virtutem criticam suppar contemperaret modestiae et humanitatis studium. Sic eruditos doctosque inter atque indoctos, illiberales et hoc interesset, quod qui litteris vitam impendunt, iis etiam ad honestatem animos instituerent. Nam:

Ingenuas didicisse fideliter artes,
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Quoniam vero in hac praesertim disciplinae medicae parte nihil magis juvat, quam exemplaria rerum proponere, ad quae sese conformare possint tirones, lubet e singulis classibus quaedam exhibere, quae imitari, si placeat, poterunt, idque non servili modo, sed eo, quo liberalia ingenia decet. Nam uti per orationes fictas ad artem concionandi, uti per problemata arithmetica ad artem numerorum instituuntur juvenes, sic per ejusmodi fictas formulas ad artem et methodum formulas medicinales componendi futuros medicos instituere conabimur. In qua quidem institutione ut ordine procedamus, a simplicissimis formulis erit incipiendum sicque pedetentim ad magis compositas progrediendum, interpositis formulis tam officinalibus, quam magistralibus iis, quae vitiosae sunt, aut saltem aliquatenus emendandae, ne scilicet destituamur opportunitate eas arte critica lustrandi.

In hac autem critica opera ita versari cupimus, ut non tantum, quod etiam ab aliis factum est,

pharmaceuticas et practicas formularum dotes spectemus, verum inprimis, quod hactenus perperam negligi solet, dotes notemus pharmacodynamicas. Nam quamvis fateamur, pharmacodynamicen longe abesse ab ea, quam speramus et cogitamus perfectione, tamen errare nobis videntur, qui esse omnino ejusmodi pharmacodynamicen negant: atque eam dum repudiant, mira miscendi licentia neque artis decus servare, neque hominum prospicere valetudini curant. In posterum ejusmodi licentiae testimonia non deërunt.

Etiam in administratione remediorum multimodis peccatur, sive doses spectemus, seu tempora. Nam dum alii amant, ingentes doses praescribere, alii refracta dosi, aut tam parva utuntur, ut vix quidquam efficere valeant: dumque aliis in more est, nullo tempore intercalari interjecto dies noctesque aegrotantes suos medicinis fatigare, aliis placet, ferias medicinales in longum protrahere; plurimi denique aut quavis hora, aut quovis bihorio quodvis fere medicamentum sumere aegrotantem jubent, ac si et hoc nullius esset aut judicii aut rationis, sed unius consuetudinis opus.

Mihi autem videtur, non solum a medicaminum delectu, verum etiam atque praesertim ab eorundem legitima administratione fortunatae curationis eventum repetendum esse: siquidem multi medici eadem prorsus remedia adhibentes multum dispari utuntur fortuna. Hanc autem fortunam

iis contingere optimam praesagimus, qui consilio rem gerere noverint.

EXEMPLA ALIQUOT FORMULARUM SIMPLICIUM.

E DEMULCENTIBUS.

℞. Rad. althaeae officinalis unc. β — unc. j.
Coq. l. a. ad colat. unc. xij.
Add. syr. alth. off. unc. j.
M. D.

S. o. bih. v.

Syrupo substituunt rad. glycyrrh. gl. unc. β, add. sub finem coctionis.

℞. Pulv. saleb. dr. β.
Solv aq. calid. unc. viij.
Add. syr. alth. officin. unc. β.
M. D.

S. o. bih. v.

℞. Olei amygdal. dulc. rec. press.
Mann. elect.
Mucilag. gum. arab.
Syr. alth. officin. āā unc. j.
M. f. Eclegma.

S. o. bih. cp.

Huic saporis gratia aq. laurocer. ℈ j additur: sunt autem aegrotantes, quibus sapor ille injucundus est; sunt quorum idiosyncrasia laurocerasum abhorret.

℞. Amygdalar. dulc. decort. unc. j.
F. l. a. emuls. unc. viij—xij.
Add. aq. flor. naph.
Syr. alth. off. āā. unc. j.
M. D.

S. o. h. v.

Saepe aq. fl. naphae sufficit dr. j. Subinde adduntur amygdal. amar. N°. IV

℞. Semin. cannab. sat. unc. j.
Amygdal. dulc. decort. unc. β.
Emulg. l. a. ad colat. unc. xij.
Solv. mann. calabr. dr. vj.
M. D.

S. o. bih. v.

Emulsiones ceratae et electuaria cerata, quorum meminerunt auctores, hodie ferme absoleta. Ex his cl. Voltelen in dysenteria laudat sequens:

℞. Cerae albae unc. β.
Olei amygdal. dulc. unc. j β.
Leni calore mixtis add.
Cons. rosar. rubr. unc. ij.
M.

Et sub N°. 238. PHOEBUS: in quam formulam not. connubium remedii emollientis cum adstringente nequaquam dysentericis omnibus adcommatum.

EX AMARICANTIBUS.

℞. Extr. centaurei minoris dr. ij.
Aq. cort. aurantior unc. vj.
D.
S. o. bih. c.

Admisceri solet syr. cort. aur. dr. vj. Nec semper tamen opus est syrupo.

℞. Extr. taraxaci.
—— gramin. āā. unc. j.
M. D.
S. o. bih. c. p. ij.

℞. Pulv. rad. gentian.
Extr. — ——— āā. dr. j β.
M. f. pilul. gr iij.
S. 3 dd. 5. ex pulv. Liquirit.

Posset pulveri gentianae substitui pulvis quassiae amarae, aut pilulis addi, odoris gratia, olei aurantiorum aetherei gtt. j.

EX ADSTRINGENTIBUS.

℞. Pulver. catechu dr. j.
Solv. aq. depurat. unc. viij.

Add. mucilag. gum. arab.
Syr. alth. off. ãã. unc. j.
M. D.
S. o. bih. c. ij.

℞. Pulv. folior. arb. uvae ursi unc. β.
Pulv. gummosi unc. iβ.
M. f. pulv. D. ad scat.
S. 3 dd. c. p.
ex lacte.

EX ACRIBUS.

℞. Pulv. cort. rad. ipecac. gr. xvj.
D. pro dosi emet.

℞. Pulv. rad. rhei gr. dr. j.
Infund. aq. fervid. unc. vj
Add. syr. rhei unc. j.
D.
S. o. bih. c.

℞. Extract. aloës gummos.
Sapon. alb. ãã. scr. ij.
M. f. pilul. gr. iv.
ex arg. fol.
Cap. vesp. ij.

℞. Extr. gramin.
Oxymell. scillit. ãã. unc. j.
Aq. foenic. unc. vj.
M. D.
O. bih. c. ℥i

℞. Extract. scill. gr. vj.
Sacch. alb. dr. j.
M. f. pulv. N°. VI.

3. d. d. pulv.

EX NARCOTICIS.

℞. Extract. hyosciam. nigr. gr. vj.
Pulv. gummos. dr. ij.
M. exact. f. pulv. N°. XII.

4 dd. pulv.

℞. Extr. opii gummos. gr. iv.
Sacchar. alb. ℈ ij.
M. ex. f. pulv. N°. IV.

Vesp. pulv.

℞. Acetat. morphii gr. j.
Sacch. alb. ℈ ij.
M. ex. f. pulv. N°. IV.

Vesp. pulv.

℞. Extract. nuc. vomic. alcoh. gr. ½.
Sacchar. alb. ℈ β.
F. pulveres tales. N°. VIII.

2. d. d. pulv.

℞. Pulv. herb. digit. purpur. gr. j.
Sacchar. alb. ℈ β.
F. pulveres tales. N°. IV.

2. d. d. pulv.

Quod de longe plurimis medicamentis, praesertim acribus, idem de hoc valet, capi non debere ventriculo vacuo, ne nauseam aut vomitum moveant.

E RESINOSIS ATQUE NERVINIS.

℞. Gumm. ammoniac dr. j.
Extr. glycyrrh. glabr. dr. iij.
M. f. pilul. gr. iij ex. p. Glycyrrh.
4 dd. 4—5. ex lacte.

℞. Extr. myrrh. aq. dr. β.
Sacch. alb. dr. j β.
M. f. pulv. XII.
3 dd. pulv. ex aq. et lacte.

℞. Flor. benzoës gr. vj—xij.
Sacch. alb. dr. iij.
M. f. pulv. XII.
3, 4 dd. pulv.
ex aq. aut lacte.

℞. Rad. valerian. sylv. unc. j.
Infund. l. a. ad colat. unc. viij.
Add. syr. menth. pip. unc. j.
M. D.
S. o. bih. v.

℞. Flor. sambuci unc. j.
Infund. l. a. ad colat. unc. viij.

Add. roob. samb.
Spirit. Minder. āā. unc. j.
D.
S. o. h. v. tepide.

℞. Pulv. cort. aurantior. dr. β.
Sacch. alb. dr. iiβ.
Olei aurantior. gtt. ij.
M. ex f. pulv. N°. XII.
4. dd. p.

℞. Rad. calam. aromat. unc. j.
Infund. l. a. ad colat. unc. viij.
Add. syr. zingib. unc. j.
Aeth. acet. dr. β.
D.
S. o. bih. c. ij.

Loco aeth. acet. additur subinde acet. vin. opt. unc. j, aut tinct. acid. aromat. dr. β.

℞. Lichen. island. unc. j.
Cort. cascarill. dr. ij.
Coq. l. a. ad colat. unc. xvj,
Syr. cort. aurant. unc. j.
4. dd. vasc.

Pro syrupo, si ejusmodi admiscere visum sit, rad. glycyrr. unc. j decocto infunditur, aut salubriter cum lacte vaccin. rec. cochl. j potatur.

℞. Semin. phellandr. aquat.
Pulv. gummos. āā. unc. β.
—— liquirit. unc. j.
M. D. ad scat.
4. dd. c. p. ex lacte.

Subinde dr. ij duntaxat phellandr. aq. adduntur, vel et decoct. lichen. carachen. aut island. parca dosis dr. β—j phellandr. infunditur.

℞. Rad. sarsaparill. unc. ij.
Coq. l. a. ad colat. unc. xij.
Add. roob. samb. unc. j.
M. D.
S. o. bih. v.

℞. Camphor. gr. j.
Sp. vin. q. s. irrorat.
Ter. c. sacch. alb. ʒ ij.
F. pulv. N°. IV.
4. dd. pulv.

℞. Camphor. ʒ j.
Acet. vin. opt. ℥ ij.
Mucil. g. arab. ℥ j.
Aq. depurat. ℥ iii—vj.
Sacch. alb. ʒ iij.
M. D.
S. 3. dd. c.

Alii etiam camphoram in emulsione amygdalina praescribunt.

E SULPHURE, ALCALIBUS, ALUMINE.

℞. Sulphur. depurat.
Cremor tart.
Sacch. alb. āā. dr. iij.
D. ad scat.

2 dd. cp. ex
aq. frig.

℞. Sulph. depurat. dr. ij.
Magnes. alb. dr. j.
Sacch. lactis dr. iij.
D. ad scat.

2. dd. c. p.

Interdum pulv. terrestr. et pulv. gummos. sulphuri addunt: interdum pulv. liquirit.

℞. Carbonat. potass. dr. j.
Aq. cort. citr. unc. vj.
M. D.

3. dd. c.

Species aquae mephiticae alcalin. (FALCONNER).

℞. Alumin. crud. gr. v.
Pulv. gummos. ℈ j.
M. f. pulv. D. tales N°. XII.

S. o. bih. pulv.

EX ACIDIS.

℞. Spirit. vitriol. unc. j.
Syrup. papav. rhoead. unc. iij.
M. D.

4. dd. cp. ex
vasculo decocti hordei

℞. Rad. gramin. unc. ij.
Fruct. tamarind. Ind. unc. j.
Coq. l. a. c. aq. q. s. ad colat. unc. xij.

℞. Sal. absynth. ℈ ij.
Sacchar. alb. ʒ ij.
Solv. aq. depurat. ℥ vj.
Cap. o. ½ h. cochl. 3 c. cochl. j. succ. citr.

E SALIBUS.

℞. Nitr. pur. (Nitr. potass.)
Pulv. gummos. āā. unc. β.
Sacch. lactis unc. j.
M. D.

S. 4. dd. cp.
ex aq. frig.

℞. Sal. Ebsham. (sulphat. magnes.) unc. j.
D.

M. et v. c. p.
ex cyatho aq. frig.

E METALLIS.

℞. Ferri carbonic.
Sacch. alb. āā. dr. j.
Ol. aurantior. gtt. j.
M. f. pulv. XII.

4. dd. p. ex
aq. frig.

℞. Mur. ferr. ammoniac. dr. j.
Aq. menth. pip. unc. vj.
M. D.

2. dd. c.

℞. Magist. bismuth. gr. vj.
Sacch. alb. dr. ij.
M. f. pulv. XII.

4. dd. p. ex
aq. frig.

℞. Oxyd. zinc. gr. xij.
Sacch. alb. dr. ij.
M. f. pulv. N°. XII.

4. dd. pulv.

℞. Mercur. dulc. gr. vj.
Sacch. alb. dr. j.
M. f. pulv. N°. VI.

cap. vesp. pulv. j.
ex lact. tep.

EX JODIO.

℞. Hydriodat. potass. dr. j.
Succ. liquirit. dr. ij.
M. f. pilul. gr. iij.
3. dd. ii. ex p. liquirit.

℞. Jodii pur. gr. j.
Muriat. sod. ℈j.
Aq. depurat. unc. viij.
M. D.
2. dd. c.

Oleum jecoris aselli, quod jodium habere nonnullis creditur, negantibus aliis, praescribi solet ad cochl. j bis de die. Ex eodem utiliter frictiones fiunt ad pectus mane et vespere, una cum usu interno.

EXEMPLA ALIQUOT FORMULARUM COMPOSITARUM.

MIXTURA OLEOSA.

℞. Ol. ricin.
Mann. calabr.
Mucilag. g. arab.
Syr. pap. alb. āā. ℥ j.
Aq. depurat. ℥ viij.
M. D.
S. o. bih. v.

MIXTURA AMARA.

℞. Vini amari.
Syr. zingib. āā. ℥ j.
Aq. cort. citr. ℥ v.
M. D.

S. o. bih. c.

PULVIS ADSTRINGENS, TONICUS, CARDIACUS.

℞. Pulv catechu.
—— columbo āā. dr. ij.
—— cascarill.
—— cinnam.
—— lapid. cancr.
—— gummos. ăā. dr. j.
M. D.

4. dd. c. p. ex
lacte et aq. frig.

DECOCTUM CORTICIS PERUVIANI COMPOSITUM.

℞. Lichen. island.
Cort. peruv. fusc. ăā. ℥ j.
Semin. phellandr. aquat. ʒ ij.
Radic. liquirit. ʒ vj.
Coq. et inf. l. a. ad colat ℥ xvj.
D.

S. o. bih. v. c. lacte vacc.

In blennorrhoeis et ulcerationibus chronicis,

quibus ejusmodi remedium convenit, corticis decocto etiam aqua calcis (unc. iv ad decoct unc. x — xij) adfunditur.

DECOCTUM LIGNORUM.

℞. Rad. sarsaparill. ℥ ij.
Ras. lign. guajac. ℥ β.
Aq. comm. fervid ℔ iij
Digere per 12 horas: deinceps
ex eadem aqua coque ad colat. ℔ iβ.
Sub. fin. coction. add.
Cortic. mezerei ʒ j.
Rad. glycyrrh. ℥ j β.

4. dd. vasc.

Residuum denuo decoquatur et detur pro potu.

PILULAE RESINOSAE RESOLVENTES.

℞. Pulv. rad. rhei.
G. as. foetid.
Fell. bov. inspiss. āā. dr. j.
M. f. pilul. gr. iij ex pulv. rad. irid. flor.

3. dd. 5.

TINCTURA ANTIASTHMATICA.

℞. Tinct. benzoës.
—— succini.
—— croci.

Vin. opii aromat. āā. dr. j.
M. D

4. dd. gtt. XX—XL
ex aq. frig.

PULVERES PLUMMERI.

℞. Mercur. dulc.
Sulph. aurat. antim.
Extr. cicut. āā. gr. vj.
Sacch. alb. dr. ij.
M. exact. f. pulv. aeq. N°. XII.

Cap. m. et v. pulv.
ex thea seq.

℞. Stipit. dulcam.
Herb. jaceae.
Rad. bardan.
—— liquirit. āā. dr. iij.
M. f. species.

CLARETUM REFRIGERANS.

℞. Cons. rosar. rubr. unc. ij.
Subig. in mortar. c. aq. font. frig. libr. II.
Dein mixt. per manic. trajiciatur.
Add. sp. vitriol. dr. j.

PILULAE MARTIALES ANTIPYRETICAE.

℞. Ferri sulphurici ℈ j.

Chinin. sulphurici ℈ ij.
Succi liquirit. ʒ j.
M. f. pilul. N°. XL ex pulv. C. L. Cinnam. 4 dd. ij adscend.

CENSURAE FORMULARUM COMPOSITARUM.

Numquam aut saepius, aut gravius peccant medici practici, quam in formulis medicamentorum compositis praescribendis. Quod qui cognoscere cupiant, formulas inspiciant magistrales etiam illas, quae in scriptis de pharmacologia, aliis veluti exempla ad imitandum proponuntur, aut officinales in codicibus pharmaceuticis, publica auctoritate sancitas. In quibus quidem formulis dijudicandis non tantum dotes pharmaceuticas, verum inprimis pharmacodynamicas et practicas notare oportet.

Ecquis enim rei peritus non reprobat remedii demulcentis formulam cui, ut vulgo fit, aqua aut syrupus cinnamomi sint addita, aut eam, quae sub num. 353 in compendio viri doctiss. Philippi Phoebus adversus diarrhoeas commendatur:

℞. Extract. cascarill.
——— columb. āā. dr. j β.
Solv. in aq. menth. pip. unc. v.
Add. tinct. cinnam. dr. ij.

Syr. cort. aurant. unc. j.
M. D.
S. o. bih. c.

Quis laudabit formulam 367 ibid. in tussi quinta:

℞. Extr. conii macul. scr. ij.
Aq. foeniculi unc. ij.
Tinct. opii benzoic. unc. β.
D.

Quis pilulas resolventes HEIMII: ex galbano, stibio, ipecacuanha, scilla et extract. pimpinell. conflatas atque pag. 229 ibid. traditas.

Prostant in officinis pilulae cochiae nomine, quarum in codice nostro haec est formula:

℞. Extracti sicci aloës socotrinae,
Scammonii, utriusque uncias duas,
Sulphatis potassae drachmas duas,
Colocynthidis unciam unam,
Olei caryophyllorum aromaticorum drachmas duas: ut fiat cum melle albo massa pilularis.

Quarum pilularum compositio nobis obfert specimen copulae purgantis amari, salini, drasticorum, olei aetherei et principii saccharini, ut prior HEIMII resinosi est et anacathartici et emetici et diuretici copula. Oedipus sit oportet, qui tales for-

mulas ex pharmacodynamice probabiliter explicet, aut earum consilium therapeuticum luculenter ostendat.

Formulae nervinae compositae exemplar sub num. 1082 proponit PHOEBUS: ex tinct. opii crocat., tinct. valerian. aether. et tinct. castorei hisque rationibus defendit: et parsimonia tincturae castorei pretiosae sese commendare et ratione therapeutica; quoniam ubi ejusmodi remedia praescribuntur, tempus non sinit, in uno tantum remedio fidem habere. Huic ratiocinationi respondeo: 1°. ubi castorei virtus requiritur, in pulvere dandum esse; 2°. alias esse vires opii, alias valerianae, alias castorei, sedantes, excitantes inque singulas nervorum provincias invadentes.

Ad asthma spasmodicum et anginam pectoris apud SOBERNHEIM invenietis pilularum formulam ex moscho, ammonio, opio, stibio, asa foetida, guajaco, valeriana et cinnamomo atque apud eundem adversus choleram Asiaticam emulsionis papaverinae compositae formulam, comprehendentem simul et hyoscyamum et camphoram et ammonium succinatum. Nonne crederemus, auctores morbis problematicis problematica opposuisse remedia: siquidem vix ullum fore medicum puto, qui hos nobis nodos solvat.

Nolo his diutius inhaerere. Illud notetis velim, in formulis compositis id ante omnia curandum esse, ut quod velis, unum sit duntaxat et sim-

plex, neque peritum quemque lateat medentis consilium: sive debilitandi aut roborandi, sive sedandi aut excitandi, seu demulcendi aut alterandi fuerit, ut in remediis nervinis praescribendis scias, in quamnam generis nervorum provinciam medicaminis actio dirigenda sit; brevi ut ab ipsa compositione nec lucidus ordo absit ac perspicuitas, nec simplicitas, sobrietas, elegantïa. Est enim formularum eadem, quae sermonis ratio, qui quo obscurior, eo pejor. Nam ut homo cultus et sapiens a barbaro et stulto oratione maxime discernitur, sic medicum sapientem et eruditum prodit elegans et docta formularum compositio.

EPILOGUS.

Saepenumero cogitavi, quaenam sectarum fuerit inter medicos origo. Quae quaestio mihi eo gravior censetur, quoniam sectas videmus, non semper novas, sed veteres, novo licet colore tinctas, renasci. Ita novimus, non nostro demum tempore natam jatrochymicorum et jatrophysicorum sectam, sed eam tamen cernimus non tantum renascentem, verum florentem, vigentem inquè omnes dominantem. Neque in philosophiae et rerum politicarum historia dispar ratio est; in illa rationalistas, in hisce radicales animadvertimus, imperium adfec-

tantes aliosque aliter sentientes verborum sententiarumque pondere opprimentes. Historiam rogantes, rerum humanarum interpretem, intelligemus, ut in corpore organico, sic in genere humano legem vigere renisus, reactionis vocant, qua contrariis provocantur contraria. Quae reactio tamdiu perstat, donec motibus criticis restitutum sit in republica aequilibrium, postmodum denovo turbandum. Nam in hac rerum humanarum conditione motu perenni vita constat, otio, ignavia, quiete perit.

Tempora florentium studiorum historicorum jam insequuntur tempora florentium studiorum philosophiae. Fluctuantes contemplamur in hac vicissitudine hominum mentes, quas ita componere studebimus, ut cum studiis philosophicis studia consociemus historica. Nam credite mihi, o amici! altera sine alteris claudicant.

Quod uti, qua erant ingenii sagacitate, perspexerant majores nostri, viri sapientes, ita unico inter gentes Europaeas exemplo, scientias excoluerunt methodo historica. Hunc veterum morem secutus, quo proprius dignoscitur gentis nostrae character, sive genius litterarius, utraque studia conjungere conatus sum, in ea quoque disciplinae medicae parte, cujus specimen vobis hoc libro edere mihi proposui, quamque adpellant pharmacologiam.

Scilicet quod saepius dixi, est autem saepius

dicendum: haec scientia nostra ex earum est numero scientiarum, quae empiricae uti sunt, ita dicuntur: quarum indolem ignorant, qui historiam ex ea proscriptam cupiunt.

Nos igitur, nisi mavelimus, simiarum more, alios populos imitari, propriam servemus naturam, et ad quas res aptissimi simus, in iis potissimum elaboremus.

INDEX AUCTORUM.

Jo. Andr. Murray, Apparatus medicaminum tam simplicium, quam praeparatorum et compositorum, in praxeos medicae adjumentum consideratus. Göttingae 1776—1790.

Opus prodiit V Voll. in oct. Vol. VI post mortem auctoris edidit Ludov. Christoph. Althoff, Med. Dr., Götting. 1792. Alteram partem, regnum minerale complectentem scripsit Jo. Fred. Gmelin, II Voll. Götting. 1795—1796.

F. J. Voltelen, Pharmacologia universa: prodiit opus posthumum tribus partibus in octavo, Lugd. Bat. 1797—1802.

Herm. Boerhaave, Libellus de materia medica et remediorum formulis, quae serviunt Aphorismis de cognoscendis et curandis morbis. Editio tertia auctior, accuratissima, Lugd. Bat. 1740.

J. J. Berzelius, Lehrbuch der Chemie. Aus der Schwedischen Handschrift des Verfassers uebersetzt von F. Woehler, 3 Aufl. Dresd. u. Leipz. 1835—1841. X Voll. in oct.

C. G. Mitscherlich, Lehrbuch der Arzneimittellehre, Berlin 1840—1846. II Voll. in oct.

Ph. Phoebus, Handbuch der Arzneiverordnungslehre, 3 Aufl. Stolberg 1839. II Voll. in oct.

Jos. Friedr. Sobernheim, Handbuch der praktischen Arzneimittellehre, Berlin 1841. in quarto.

Friedr. Gottl. Hayne, Getreue Darstellung und Beschreibung der in der Arzneykunde gebräuchlichen Gewächse, und auch solcher, welche mit ihnen verwechselt werden können, Berlin 1805—1837. XIII Voll. in 4°. Ultima ediderunt viri doct. Brandt et Ratzeburg iisdemque auctoribus prodiit Zoologia medica, II Voll. in 4°. Berolin. 1829—1833. sub titulo: Medicinische Zoologie, oder getreue Darstellung und Beschreibung der Thiere, die in der Arzneimittellehre in Betracht kommen, in systematischer Folge herausgegeben von Dr. J. F. Brandt und Dr. J. T. C. Ratzeburg.

Abbildungen sämmtlicher Arzneigewächse Deutschlands, welche in die Pharmacopöen der grössern Deutschen Staaten aufgenommen sind. Nach der Natur gezeichnet von Eduard Winkler Dr. Ph. Einhundert zwei und neunzig kupfer. Leipzig, Magazin fur Industrie und Litteratur.

J. G. Zimmermann, von der Ruhr unter dem Volke im Jahre 1765. Zurich 1767.

G. A. Richter, Ausführliche Arzneimittellehre, Berlin 1826—1832. VI Voll. in oct.

Ph. Laur. Geiger, Pharmacopoea universalis, Heidelb. 1835.

Aug. Pyr. de Candolle, Essai sur les propriétés médicales des Plantes, comparées avec leurs formes extérieures et leur classification naturelle, 2 Ed. Par. 1816.

Joh. Heinr. Dierbach, Abhandlung ueber die Arzneikräfte der Pflanzen verglichen mit ihrer Structur und ihren chemischen Bestandtheile, Lemgo 1831.

Jo. Lindley, an Introduction to the natural System of Botany etc., Lond. 1830.

F. J. F. Meyen, Neues System der Pflanzenphysiologie, Berlin 1837.

Justus Arnemann's, Praktische Arzneimittellehre, 5 Aufl. v. Ludw. Aug. Kraus, Gotting. 1811.

Justus Liebig, die organische Chemie in ihrer Anwenduug auf Physiologie und Pathologie, Braunschweig 1842. p. 99.

J. A. Murray, Opuscula, Gotting. 1785. (Vol. I. c. VIII. de phthisi pituitosa.)

G. A. Richter, Neue medicinische und chirurgische Bemerkungen, Berlin 1813. (cap. 20 de phthisi pituitosa agitur.)

William Cullens Abhandlung ueber die Materia Medica, nach den nunmehr von dem Verfasser selbst ausgearbeiteten Originalausgabe, uebersetzt und mit Anmerkungen von Samuel Hahnemann der Arzneikunde Doktor, Leipz. 1790. II Voll. in oct.

Francis Home, Clinical Experiments, histories and dissertations, Edinb. 1780.

Tennent, Essays on the Pleurisy, Philadelph. 1736.

Tennent, Epistle to Richard Mead, concerning the efficacity of the Seneka Snakeroot, Edinb. 1742.

De quibus: »doleo, inquit cl. MURRAY, mihi non suppetere ipsa Tennentii scripta.“ Neque mihi ea videre licuit.

Joh. Heinr. Dierbach, Synopsis Materiae Medicae, oder Versuch einer systematischen Aufzählung der gebräuchlichsten Arzneimittel, Heidelb. und Leipz. 1842.

Anthony Todd Thomson, Elements of Materia Medica and Therapeutics; including the recent discoveries and analysis of medicines. III Ed. Lond. 1843.

Gul. Piso, de Indiae utriusque re naturali et medica, Amstelod. 1658. fol.

Akenside, Med. Transact. V. I. p. 93 sqq. laud. a Murray v. cl.

Jonathan Pereira, the Elements of Materia Medica and Therapeutics, II Ed. Lond. 1842. II Voll. oct.

Carl Florenz Tourtual, Praktische Beiträge zur Therapie der Kinderkrankheiten, Munster 1829. Altera pars prodiit ibidem a. 1837.

Rob. Christison, a Treatise on Poisons, III Ed. Edenb. 1836.

Rob. Christison a Dispensatory, or Commentary on the Pharmacopoeias of Great Britain, Edinb. 1842.

Friedrich Gotthilf Voigtels, Volständiges System der Arzneimittellehre. Herausgegeben von Carl Gottlob Kühn, Leipz. 1816.

Joh. Jacobi Wepferi, Historia Cicutae aquaticae etc., Lugd. Bat. 1733.

Ernst Anton Nicolai, Recepte und Kurarten mit theoretisch-praktischen Anmerkungen, Jena 1798.

Huic libro cognatus alter est auctoris anonymi: Recepte und Kurarten der besten Aerzten aller Zeiten, Leipz. 1817.

Reid, Essay on the nature and cure of the phthisis pulmonalis, 2 Ed. laud. a Murray.

Griffith, Observations on the cure of hectic und slow fevers, and the pulmonary consumption, Lond. 1776.

Historia Febris miliaris et de Hemicrania Dissertatio, auctore Joanne Fordyce M. D., Lond. 1758.

Dr. Joh. Christ. Gottfr. Jörg, Materialien zu einer kunftigen Heilmittellehre durch Versuche der Arzneyen an gesunden Menschen gewonnen und gesammelt, I B. Leipz. 1825.

Carl Sundelin, Handbuch der speciellen Heilmittellehre. Dritte vermehrte und verbesserte Ausgabe, Berlin 1833. II Th. oct.

Dr. Joh. Heinr. Dierbach die neuesten Entdeckungen in der Materia Medica. Fur praktische Aerzten geordnet, Heidelb. u. Leipz. 1837.

Hactenus prodiere III Voll. Ultimi pars prior a. 1845.

Vict. Ad. Riecke, die neuern Arzneimittel, ihre physischen und chemischen Eigenschaften, Bereitungsweisen, Wirkungen auf den gesunden und kranken Organismus, und therapeutische Benutzung, 3 Aufl. Stuttg. 1842.

Felix Fontana, Traité sur le vénin de la vipère, sur les poisons américains, sur le laurier cérise et sur quelques autres poisons végétaux, Florence 1781. 4°.

Gairdner, Essay on the effects of Jodine on the human constitution, Lond. 1824.

Lugol, Mémoire sur l'emploi de l'jode dans les maladies scrofuleuses, Paris 1829.

Lugol, Mémoire sur l'emploi des bains jodurés dans les maladies scrofuleuses, Paris 1830.

Lugol, troisième mémoire sur l'emploi de jode, Paris 1831.

Caeterum de litteratura scriptoribusque hoc pharmacum tractantibus vid. eruditiss. Riecke l. l.

Optandum sane, ut observationes et experimenta circa jodii usum et abusum publici juris fiant, sicque indies nobis crescat adcuratior ipsius cognitio.

Dr. J. H. Dierbach, die Arzneimittel des Hippokrates, oder Versuch einer systematischen Aufzählung der in allen Hippokratischen Schriften vorkommenden Medikamenten, Heidelb. 1824.

Whitelaw Ainslie, Materia medica Indica; or some account of those articles which are employed by the Hindoos, and othern eastern Nations, in their medicine, arts, and agriculture; comprising also formulae, with practical observations, names of diseases in various eastern languages, and a copious list of oriental books immediately connected with general science, Lond. 1826. II Voll. oct.

Dr. E. Osann, Physikalisch-medicinische Darstellung der bekannten Heilquellen der vorzüglichsten Länder Europa's, Berlin 1839—1843. III Tomi IV Voll. in oct. (T. III. 2 partibus constat; hunc post obitum auctoris edidit doct. Fr. Zabel).

August Vetter, Theoretisch-praktisches Handbuch der allgemeinen und speciellen Heilquellenlehre. Zweite verbesserte und stark vermehrte Ausgabe, Berlin 1845.

Prodiit duobus voll.; primum sub titulo: Handb. d. allgem. Heilquellenlehre. Nach den neuesten Standpunkte der physikalischen und physiologischen Wissenschaften, sowie nach eigenen ärztlichen Erfahrungen systematisch bearbeitet; alterum inscribitur: Handb. der speciellen Heilquellenlehre etc.

Not. haud inepte ab auctore distingui inter scientias physicas et physiologicas.

Hieronymi Davidis Gaubii, medicinae et chemiae in Academia Batava, quae Leidae est, professoris, Libellus de methodo concinnandi formulas medicamentorum. Editio quarta, iterum revisa et accurata. Accedunt Orationes duae, quarum prima ostenditur, chemiam jure artibus Academicis esse inserendam;

Altera agit de vana vitae longae a chemicis promissae exspectatione, Lugd. Bat. 1786.

Marshall Hall, practical observations and suggestions in medicine, Lond. 1845. Prodiit series altera a. 1846.

D. Johann Clemens Tode, Versuch einer Receptkritik, Kopenhag. u. Leipz. 1800.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

pag. 22. lin. 2. Cf. *Algemeene Konst- en Letterbode.* 1847. N°. 14. pag. 219 sqq., ubi dicitur, quamvis experimentis effici voluerint, gelatinosis istis corpus non bene nutriri, observationes tamen docere contrarium. Itaque experimento repugnantem habemus observationem: cuinam credendum? Respondeat HIPPOCRATES, qui probe distinxit inter convalescentium alimenta et prospere valentium.

Caeterum ad classem priorem: emollientium, saccharinorum, referri, praeter memorata, debent: radix graminis et radix bardanae.

Prior a veteribus adhiberi solebat in calculo, ulcere renum, hydrope. Cf. DIERBACH l. l. I. pag. 203. Postea in febribus, ejus decoctum loco ptisanae, in Gallia: inque ictero, calculo bilis, tussi, praecipue mellago: circa quam notandum, calore aestivo facile acescere.

Posterioris virtus habetur blande resolvens, sudores lotiumque pellens, sanguinis crasin emendans. In podagra, rheumatismo, calculo, lue venerea adhiberi scripsit MURRAY, I. pag. 84. Quibus subjecit VOLTELEN: bardanam dudum inter remedia sanguinem purificantia habitam adeoque in omni fere acrimonia: arthritica, rheumatica,

venerea, scabiosa adhibitam fuisse. l. l. I. pag. 130. VOIGTEL praeponit radici chinae, et sarsaparillae, cui contra postponit SOBERNHEIM inque herpete laudat. In morbis calculosis etiam celebrat DIERBACH, usumque externum in ulceribus crurum, jam pridem notum, confirmat. Is procul dubio habere dotes eximias, sed ut fit in remediis vulgaribus, minus bene exploratas, monet.

Inter pinguia etiam numerandum oleum jecoris aselli, aliis oleum morrhuae: cujus usus therapeuticus tamen recentioris est memoriae. De historia vid. DIERBACH l. l. II. pag. 1056. Praestantissimum est remedium in rhachitide (Cf. Lib. *de Art. Med.* h. l.) scrofulosi, tuberculosi, rheumatismo chronico. Dosis est cochlear integrum mane et vespere, ex aqua frigida, vino albo, malagensi, emulsione amygdalarum, aut succo citri; minus bene ex aquis destillatis carminativis, propter ructus iis excitatos. Vulgo nimia dosi praescribitur. Salubriter cum usu interno usus externus sociatur, inungendo mane et vespere, sive simplex, sive cum spiritus juniperi, spiritus vini quarta parte. De utendi modo cff. SOBERNHEIM l. l. II. pag. 430. et PHOEBUS l. l. II. pag. 384. Icon. vid. ap. BRANDT et RATZEBURG, II, IX. fig. 3.

pag. 32. lin. 10 commemorat *lege:* meminit
— 44. — 13 in morbo verminoso, quae *lege.* in morbo verminoso sive helminthiasi, quae
— 47. — 17 scorbuti *lege*: scorbutici

pag. 51. lin. 1 adstingentem *lege:* adstringentem
— 115. — 19 aquilibrium —— aequilibrium
— 117. — 13 aucute —— acüte
— 118. — 20 RICHERO —— RICHTERO
— 132. Circa potestatem antiparalyticam nucum vomicarum monendum est, me deinceps, postquam haec scripseram, satis fortunate administrasse, extractum alcoholicum praecipue: saepius tamen frustratum esse; quod utrum remedio tribuam, an mihi minus recte ipso utenti, dubius sum.
— 139. penultima H. DASSEN *lege:* M. DASSEN
— 180. lin. 18 peritoneum —— peritonaeum
— 240. Not. h. l. plura medicamina esse relata incertae sedis quaeque sensu therapeutico quadantenus conveniunt, tum diaphoretica, tum alia, universe rectius ad acria revocanda, cujus census sunt: sabina, mezereum (guajacum ad resinosa pertinet) sarsaparilla, saponaria, chelidonium, armoracia, cochlearia, calendula, jacea. Horum nonnulla diureticis adnumeravit vir. cl. MITSCHERLICH; quo autem jure, nescio.
— 298. lin. 26 ϑj—ϑj *lege:* ϑj—ʒj
— 229. — 19 resarciendum —— resarcienda
— 331. — 14 saopius —— saepius
— 345. Circa mixturam antihecticam GRIFFITHII notetis oportet, mutari ferrum sulphuricum per additum kali carbonicum, de qua mutatione ita praecepit PHOEBUS, II, pag. 211: »*es bildet sich kohlensaures Eisenoxydul, nach und nach in Eisenoxydhydrat uebergehend und schwefelsau-*

res Kali, doch der guten Wirkung unbeschädet oder sie wohl gar bedingend."

pag. 362. lin. 1 CORROSINUS *lege:* CORROSIVUS

— 366. Jodii in diversissimo morbi genere praescriptio nonne indicat, legitimum remedii usum experientia nondum innotuisse? In scrofulosi et syphilide inveteratis mihi usu comprobatum est.

— 372. lin. 11 est *lege:* sit

— 373. — 2 so in —— in

— 385. — 9 amaris —— amaris,

— 432. Specimen interpretationis pharmacodynamicae ex theoria cellularum exhibuit vir. cl. SOBERNHEIM. Postulatur principium, quo theoria atomorum et theoria cellularum, hactenus sibi oppositae, contineantur.

Theoriam morbi quod adtinet, nova inventa de favo, scabie, helminthiasi deque animalium metamorphosi (*Generationswechsel*) nobis terrarum incognitarum aditum patefaciunt.

— 139. lin. 19 potentissima *subintellige* remedia.

— 459. lin. 21 nulla non *lege:* nulla

— 472. — 3 adcommatum —— adcommodatum